

**www.e-rara.ch**

## **Theatrum concionum sacr. topicum**

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars II - de cognitione, nominibus, essentia & attributis Dei : de mysterio SS. trinitatis, & tribus in una essentia divina personis, patre, filio & spiritu s. spiritusque s. officio : Cum adiectis indicibus necessariis, ex orthodoxiae monumentiis

...

**Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus**

**Basileae, 1672**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80153>

§ 5

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## LIBRI I. CAPITIS II.

§.5.

*De officio Spiritus Sancti.*

## CONCIO I.

*De officio Spiritus Sancti erga electos.*

Johann. c. 15. v. 26, 27.

Quum venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à patre, Spiritus inquam ille veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me: Sed & vos testabimini, quia à principio mecum fuistis.



**E**cclēsia Dei in Scriptura Sacra, sæpius cum corpore confertur: videlicet 1. Cor. 10. 17. *Unum corpus multi sumus. 1. Cor. 12. 12, 13. Sicut corpus unum est, & multa habet membra: omnia verò membra corporis unius, multa quum sint, unum corpus sunt: ita & Christus. Etenim per unum spiritum, nos omnes, in unum corpus baptizati sumus.* Et Eph. 4. v. 12. Ecclesia signatè corpus Christi dicitur. Nec sine causa. Quemadmodum enim corpus naturale, sua habet membra, ita etiam corpus mysticum, Christi Ecclesia, quæ habet

- a. Caput: Ipsum Christum, *caput Ecclesie super omnia.* Eph. 1. v. 22. qui toti Ecclesie suæ corpori, Spiritum vitalem communicat.
- b. Oculos: Ecclesie inspectores & antistites, quorum est, *sibi & gregi attendere.* Act. 20. 28.
- c. Linguam: Verbi divini Ministerium, quod *eloquia.* 1. Petr. c. 4. v. 11.

c. 4. v. II. & *magnalia Dei* Act. 2. v. II. enuntians, sermonem suum intra dentes format, quo per conciones legales hominum peccatorum conscientia, quasi mordentur, & è veterno peccati excitantur.

- d. **Aures:** Frugi auditores, qui auditum sermonem retinent, & fructum adferunt per patientiam. Luc. 8. 15.
- e. **Manus:** Beneficos & hospitales Christianos, qui esurienti panem suum partiuntur, & pauperes ejectos, in domum suam introducant. Esaj. 58. v. 7.
- f. **Pedes:** Omnes Sanctos, qui *rectas orbitas faciunt*, ne, quod claudum est, abducatur à via, sed sanetur potius. Hebr. c. 12. v. 13.

Quid verò hæc corporis membra facient absque corde? Hoc primum est vivens & ultimum moriens: ab hoc spiritus exit vitalis in totum reliquum corpus, & omnia illius membra.

Sic in mystico Ecclesiae corpore, **COR**, Spiritus S. est Principium *vite spiritualis*, Joh. 3. 5. per quam vivimus. Principium *motus spiritualis*, per quem Christum, Dominum vocamus.

Principium *caloris spiritualis*, quo corda nostra, igneo Dei & proximi amore, accenduntur.

Principium *omnium operationum vitalium*, per quas de remedijs salutis cogitamus, & bonorum celestium reminiscimur.

Principium *lætitiæ & gaudij* in Domino.

Atque hic Spiritus Sanctus, **COR ECCLESIAE**, datur Ecclesiae, à restauratore Ecclesiae, Jesu Christo Salvatore nostro

**Fidus Paracletus. Spiritus veritatis.**

Verax de ipso Christo testis, juxta promissionem factam in prælecto textu Joh. 15. v. 26, 27. *Quum venerit, &c.*

Textus hujus duæ sunt partes.

- I. Apertum de SS. Trinitate testimonium.
- II. Descriptio Personæ & officij Spiritûs Sancti.

De SS. Trinitate, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, haftenus egimus.

Sequitur considerandum **Officium Spiritus Sancti,**

quod administrat, tum *erga Pios*: tum *erga Impios*.

Quale sit Officium Spiritus Sancti, quod administrat *erga Pios*, jam explicabimus.

Quale sit, quod administrat *erga Impios*, proximè, cum Deo, audiemus.

**Officium, quod Spiritus S. erga Pios administrat,** describitur in prælecto textu, in quo Spiritus Sanctus à Christo promissus, appellatur

I. Consolator.

II. Spiritus veritatis.

III. Testis de Christo.

De officio Spiritus Sancti, hoc observandum est *in genere*.

Quemadmodum Spiritus Sanctus, cum Patre & Filio, *verus est Deus in una atque indivisa essentia*, ita cum Patre etiam & Filio *indivisam habet operum divinatorum communionem*.

Opera ista divina, seu Deitatis, sunt

Electio salvandorum.

Creatio, conservatio & gubernatio rerum creatarum.

Redemptio Generis humani.

Electorum & Redemptorum conversio, institutio, sanctificatio, conservatio, consolatio, salvatio.

Ex his operibus Dei,

Deo Patri adscribitur electio, creatio, conservatio, rerum omnium gubernatio. *Non tamen exclusis Filio & Spiritu Sancto.*

Deo Filio adscribitur Redemptio generis humani, justificatio hominis peccatoris, &c. *Non tamen exclusis Patre & Spiritu Sancto.*

Deo Spiritui Sancto adscribitur electorum illuminatio, conversio, regeneratio, sanctificatio, consolatio, &c. *Non tamen exclusis Patre & Filio.*

Quamvis autem in indivisa hac operum divinatorum communionem, nulla

nulla Persona ab alia separetur; aut excludatur, *nihilominus tamen unaquæque Persona, in opere suo perficiendo, peculiare aliquid habet; & proprium.* Exempli gratiâ:

Salvat nos Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

In hoc tamen *salvationis opere*, aliud agit Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus.

*Pater* salvandos *elegit*: Christum illis redemptorem, in æterno suo consilio, ordinavit, & in tempore in carnem misit.

*Filius*, Deus in carne manifestatus, *salutem electis meruit.*

*Spiritus Sanctus*, Patris electionem, & Filij meritum salvandis *efficaciter applicat*, salvificam, in cordibus ipsorum, fidem operando, sine qua nemo, vel placere Deo, vel servari potest.

Quicquid præterea *boni in nobis est*, id omne operatur *Pater & Filius per Spiritum Sanctum.*

Pater habitat in suis, inambulat, illos illuminat, vocat, trahit, convertit, docet & consolatur: sed per Spiritum Sanctum.

Filius facit idem: sed per Spiritum Sanctum.

Spiritus Sanctus facit idem, sed de illo, quod Patris & Filij est, accipit; ut operetur in nobis. Joh. 16. 14, 15.

Præmissis his observationibus generalibus, accedimus in specie,

## I. Ad officium Spiritus Sancti Paracleticum,

de quo Christus in textu v. 26. *Quum autem venerit Paracletus ille, quem ego missurus sum vobis à Patre.*

Vox *παράκλητος* duo significat; *Advocatum & Consolatorem.* Utrumque officium Spiritus S. fidelibus præstat; *Advocatorium & Consolatorium.*

A. *Advocatorium.* Nam Spiritus S. *Advocatus est, & Patronus fidelium.*

*Advocatus* seu *Patronus*, *Viduarum, Pupillorum, & aliorum*, quibus in foro, coram iudice, negotium est, causam fideliter agit, & pro virili defendit.

Fert quidem hoc tempore tellus *Advocatos & Procuratores*, de quibus verissimè non nemo, *Publica mercis nihil tam venale esse, quàm Advocatorum perfidiam.*

Nos verò de æquis, candidis & pijs loquimur, quo-

rum requisita sunt, ut sint *Prudentes in consulendo,*

*Diserti in perorando.*

*Fideles in defendendo.*

Talis *παιεγκλητ* ©, Advocatus & Patronus, *Spiritus Sanctus* est, qui causam clientum suorum prudentissimè, disertissimè, fidelissimè agit.

In litigioso vivimus seculo, in quo negotia nobis facessunt, qui minimè deberent: Nos verò *pupilli sumus minoresnes*, qui, in rebus spiritualibus, sensus minùs exercitatos habemus, & rebus nostris consulendo pares non sumus: Spiritu igitur Sancto, Patrono & Advocato, qui causam nostram agat, maximè habemus opus.

*a. Orphani sumus, ab omnibus passim derelicti,*

qui gratiam Patris cœlestis, per peccatum, amisimus, & gloriam filiationis perdidimus, hæreditate salutis excusci, & ab omnibus neglecti, vitam agentes miseram, ubique pressi & oppressi.

At Spiritus Sanctus *fidelem nostri gerit curam*, ex promisso Joh. 14. v. 18. Non relinquam vos orphanos.

*b. Rudes sumus, & rerum agendarum imperiti.* 1. Cor. 2. 14. Ephes. c. 4. 18. oculos habemus inde à nativitate nostra cœcos. Joh. c. 9. 1. Jer. 4. 22. sapientes ad malefaciendum, sed benefaciendi ignorant. Sensus nostri externi, infirmitate sapiùs, voluptate, vino, libidine, vanis promissis, habendi cupidine, &c. obruuntur, hinc multivaria nascuntur peccata, & malè meditata multorum à Deo apostasia. At *Spiritus Sanctus, Bonus & industrius Patronus noster*, causam nostram rectè intelligit, bene defendit, & pro nobis apud Deum intercedit.

*c. Rei sumus ex peccato:* accusari à Sathana: ad Dei tribunal protracti per legem: *αυτοκατάκριτοι*, sive iudicati & damnati per iudicium propriæ conscientiæ.

*Coràm Deo*, nos aliquando accusat peccatum Gen. 4. 10. Gen. 18. 20.

*Coràm Mundo*, sapiùs calumnia, exemplo Josephi Gen. c. 39. 13. Seqq. Susannæ. Hist. Sus. v. 27. aut falsi testes, exemplo Nabothi, 1. Reg. 21. 10. aut temerarij iudices. Rom. 14. 4.

Coram nobis ipsis, propria conscientia, Rom. 2. 25. Psalm. 38. 5.

Etiam Hic patrocinatur nobis Spiritus Sanctus, qui pro nobis, per Christum à damnatione liberatis, apud Patrem intercedit, & causam nostram fidelissimè agit. Hic enim *Advocatus*, est

- a. *Prudens & peritus*, qui sapientissimos hostes nostros in astutia ipsorum deprehendit aded, ut consilium reluctantium præcipitur. Job. 5. 17. Prov. 21. 30. Satis illi notus est & legis rigor, & nostra infirmitas: Procedit igitur prudenter, & causam nostram ita agit, ut à damnatoria, quam promeriti eramus sententia, absolvamur, & salutem æternam consequamur.
- b. *Eloquens & disertus*, qui cœlestis Curia styli exactissimè gnarus, os & sapientiam nobis largitur, Matth. 10. 20. Luc. 12. 11. sicut socijs Dan. 3. 17. 18. Docet item orare Zach. 12. 10. & inenarrabilibus suspirijs pro nobis interpellat. Rom. 8. 26.
- c. *Fidelis, industrius & potens*, qui optimâ fide nobiscum agens negotium nostrum non protrahit, litem ex lite non ferit, clientum suorum facultates non devorat, & in loculum suum derivat: sed causam nostram defendit, æquum & justum procurat, & certos reddit de gratuita peccatorum remissione, consolatione, auxilio divino in omnibus adversis, atque ipsa salute æterna: neminem enim fore, qui separare nos possit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. 39.

Ita verò *Advocatus & Patronus* noster, *Spiritus Sanctus*, patrocinatur nobis

I. In iniquis & perversis mundi judicijs, & ipsa Tyrannorum violentia.

- a. Nihil Mundi filijs familiaris est, quàm de singulis perversè judicare, de se judicari nolle. Totum orbem hæc judicandi libido turpissimè infatuat. Maxima pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cum tamen non ita velit ab alijs judicari,

Yyyyy

cari,

*cari, quomodo vult alios judicare.* Augusti, serm. 202. de Temp.

Subierunt hanc judicij temerarij aleam, omni tempore, *pyssimi*, quibus mundus est insidiatus: Abel, Abraham, Isach, Jacob, Moses, David, Christus, Beati ipsius Apostoli, & Sancti Martyres atque confessores. Suntque adhuc, qui in Basiliscum hunc incidunt, à quo sine morfu mordentur, sine vulnere vulnerantur, & sine ictu conficiuntur.

Sed *in temerarijs his mundi judicijs*, prudens, disertus, & fidelis noster Advocatus, *Spiritus Sanctus*, constantiae & virtuti nomen nos dare docet, & duos porrigit clypeos, Innocentiam & patientiam.

1. *Innocentiam* exemplo Davidis, Psal. 26. 6. Nam aheneus est murus, nihil conscire sibi, nullà pallefcere culpâ.

2. *Patientiam*. Thren. 3. 26. Luc. 21. 19. Hebr. 10. 36. Felix, quem in adversis non pungit conscientia.

Felix, quem sustentat & solatur patientia.

3. *Grandes persecutionum nimbos*, contra veræ Ecclesiæ Christi membra, bestia illa Apocalyptrica ciet, quæ fideles Christianos furiosè infestans, fufum eorum sanguinem bibit. Apoc. 17. 6.

At *Spiritus S. Advocatus & Patronus noster*, confortat nos, & docet cum Christo permanere in tentationibus ipsius, ut cum ipso tandem regnemus in coelis. Luc. c. 22. v. 28, 29.

4. *In judicio accusantis & condemnantis conscientia nostra.*

Tribunal suum Deus in corde hominis erigit, in quo ipse judex sedet, & quidem ἐν καρδίᾳ ἑκάστου. Accusat peccatorem Moses, testatur contra eum propria conscientia. Nulla hic negatio: peccavimus omnes Rom. 3. 23. sententia fertur Deut. 27. ult. Maledictus, qui non præstiterit verba legis hujus, &c.

Etiam in hoc judicio præstō est *Advocatus noster*, Spiritus Sanctus, qui docet 1. Peccatores resipiscere, Act. 2. 38.

2. Resipiscentes verò

- α. Declinare foram justitiae Dei, à quo nos Christus exemit.
- β. *Vadem Deo sistere.* Christum cum suo λόγῳ, qui delecto, quod adversum nos erat chirographo, quicquid nobis contrarium erat, cruci affixum è medio sustulit. Col. 2. 14.
- γ. *A Mose ad Christum, à lege ad evangelium, à justitia Dei, cui per Christi passionem & mortem, jam satisfactum est, ad misericordiam ejus appellare, & hanc forti fide inclamare, certos, per Christum, credentem quemvis justificari ab omnibus, à quibus non potuit per legem Moysi justificari.* Act. 13. 38, 39.
- δ. *Orare pro nobis ex Psalm. 143. 2. Ne congregiaris iudicio cum servo tuo, &c. & ex Psalm. 51. 3. Gratiā fac mihi o Deus, secundum benignitatem tuam, &c.*
- ε. *Lapsos alios non abjicere, sed in offensa aliquā preoccupatos instaurare per Spiritum lenitatis, Gal. 6. 1.*
- ς. *Cum Paulo dicere: Justificamur gratis, ejus gratiā, per redemptionem, quae facta est in Christo Jesu. Rom. 3. 24. Et cum Bernhardo: Sufficit mihi ad omnem justitiam meam, solum habere propitium Deum, cui soli peccavi: Ego, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiā affluunt, nec defunt foramina, per quae effluant.*
- ζ. *In ipsa morte, animam nostram, Deo fideli conditori commendare. 1. Petr. 4. 19. adeoque Domino, cui proximis, mori, ut sive vivamus, sive moriamur, Domini simus. Rom. 14. 8.*
3. *In iudicio ultimo, in quo sistemur omnes apud tribunal Christi. Rom. 14. v. 10. ut unusquisque reportet, quae in corpore fecerit. 2. Cor. 5. 10. Judex in isto iudicio orbem justè iudicaturus, Christus erit, Joh. c. 5. v. 22.*
- Judex Sapientissimus, quem nihil latet, Hebr. 4. 13. qui nec alienis auribus audit, nec alienis oculis videt, sed propriis: qui mendaci calumniā non decipitur, nec aliorum consilio regitur, ipse κατὰ λογῶν. Apoc. 2. 23.*
- Judex justissimus, cujus justae & verae sunt viæ. Apoc. 15. 3. & justitiae ejus nemo contradicere potest.*

Judex *potentissimus* Psal.24.v.8. *cujus judicium nemo effugiet.*  
 In hoc judicio *Diabolus hominem accusabit*, his ferè verbis:

O *justissime* judex, æquum judica, meum esse, qui tuus esse noluit. Quid apud eum lascivia? incontinentia? gula? avaritia? superbia? & cætera mea? Mea concupivit, ergò meus esse voluit. Tu illum magno dignatus es liberare pretio: at ipse se mihi postmodum voluit obligare. Ego pro illo, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi. Tibi, tibi hoc nomine devinctus erat: sed iste aded sui immemor officij, à te deficere & mihi adhærere voluit. Quid verò hinc, nisi desperatio mihi peccatoris?

Sed *negotiorum & Advocatus noster*, *Spiritus Sanctus* in hoc judicio, docet nos,

- a. *Judicem esse Fratrem nostrum*, Prophetam, Sacerdotem, Regem, Redemptorem, Caput, Sponsum, qui nos sibi è manibus suis eripi non sit passurus. Joh. 10.v.28.
- b. *Judicium hoc omnibus bonis esse amandum propter coronam, sed formidandum malis propter pœnam.* Rom.2.v.10. 2.Thessal.1.8,9.
- c. *Principem mundi jam condemnatum esse.* Joh.16.v.11.& opera ejus dissoluta. 1.Joh.3.8.
- d. *Nullam amplius condemnationem esse in illis, qui sunt in Christo Jesu, &c.* Rom.8.1,33,34.

#### Ufus ad Exhortationem Consolatoriam

1. In *calamitatibus hujus vitæ*, *cujus optimum labor est & dolor.* Pl. 90.10. *subtilissimumque pœna atque miseria.* August. ferm.50. de temp.

Confidite, dilecti, *Patronus & Advocatus noster*, *nunquam nos deseret.* Patimur *egestatem & inopiam?* Beneficum aliquem excitabit Barfillai, qui inopiam nostram sublevet. 2.Sam.19.32.

Patimur *persecutionem?* misericors aliquis nos suscipiet Achis. 1.Sam.27.3.

Patimur *famem?* Pius aliquis nos sustentabit Obadias. 1.Reg.18.4.

*Aegrotamus, & cum exquisitis corporis doloribus conflictamur? Spiritûs Sancti, Patroni nostri numine adjuti, omnes plagas patienti tolerabimus animo.*

*Expositi sumus mortis periculis? Danjelem aliquem, qui nos liberet, Heroico induet animo. Adject. ad Danj. in Hist. Susannæ v.45.*

*Quod si hîc dira & dura patimur ad ultimum usque vitæ halitum, eripiet tamen nos tandem Patronus noster, ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti. 2. Tim. 4. 18.*

2. *In omnibus tentationibus & anxietatibus animi. Nolite pavere. Deus, qui proprium suum nobis donavit filium; cum illo etiam Spiritum suum Sanctum nobis gratificatur. Rom. 8. 32.*

*Vexant nos peccata perpetrata? accusat Moses, cum lege Dei & conscientia nostra? præsid est Spiritus Sanctus cum suo patrocinio, qui secum adducit in cor nostrum Christum Jesum cum suo merito. Cur igitur lamentamini? fidelis est hic sermo, & dignus modis omnibus, qui recipiatur, Christum Jesum venisse in mundum, ut servaret peccatores. I. Tim. I. 15. I. Joh. 1. 7. I. Petr. 3. 18.*

3. *In ipsa morte, quando nec aures nostræ amplius audiunt, nec oculi vident, nec intellectus amplius intelligit, Advocatus noster, Spiritus Sanctus, Christum Jesum crucifixum nobis monstrat, & per eum, omnia nostra peccata abolita, ut læti pronuntiemus cum Paulo Phil. I. 21. Mibi Christus & in vita & in morte lucrum. Et cum Simeone Luc. 2. 29. Nunc dimittis servum tuum Domine, cum pace, &c.*

*Occup. Ais: At ego miser peccator, non sum dignus, cuius anima, in cœlestia recipiatur tabernacula.*

24. *Erudit te Advocatus tuus, Spiritus Sanctus, Christum Jesum Servatorem tuum, Regnum cœlorum, duplici obtinere jure, jure scilicet æternæ generationis à Patre, & jure meriti. Jus alterum sibi retinere, alterum tibi donare.*

*Oremus Deum Patrem in nomine Filij, Servatoris nostri Jesu Christi, ut, juxta promissionem suam, Advocatum hunc Spiritum Sanctum in corda nostra mittat, qui ita in nobis operetur, ut ipsi nos totos regendos committamus.*

B. Officium consolatorium Spiritus Sanctus, *πνεῦμα*

*κλητ* dictus, Fidelibus etiam præstat, Joh. 15. v. 26. *Quum autem venerit Paracletus, Advocatus, Consolator ille.* Joh. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium πνεῦμα κληττον, consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.*

Quantopere hic Consolator nobis sit necessarius, mundus peccatis & delitijs immerfus, nec intelligit, nec curat. Sed Filij Dei crebrâ cruce & calamitate exercitati intelligunt, & hujus necessitatem agnoscunt,

propter pugnas foris, & metum intus. 2. Cor. 7. 5.

propter lucram non tantum adversus carnem & Spiritum, sed etiam adversus imperia, potestates, & mundi tenebrarumque principes. Eph. 6. 12.

propter accusaciones Sathana, qui fratres in conspectu Dei, die ac nocte accusat. Apoc. 12. 10.

Sathanas cœlo ejectus, excandescentiæ plenus Apoc. c. 12. v. 12. electos Dei ventilare appetit sicut triticum. Luc. 22. 31.

Sed CONSOLATOR, Spiritus Sanctus, adversus Sathanæ furores desuper nobis mittitur, Joh. 15. 26.

Cum Deus legem suam è monte Sina promulgasset, horribiliter tonitruï fragore, & tubæ clangore, omnia perforuerunt. Sed, cum Spiritum S. in Apostolorum emisisset corda, pacata & quieta fuerunt omnia.

Elajas cap. 40. 1, 2. exclamat: *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester. Loquimini, qua sunt cordi Hierosolymorum.*

Spiritus S. Consolator verus, exclamat in auribus & cordibus nostris: *Consolamini, consolamini pœnitentes, credentes, infirmos, ægros, tentatos, anxios, moribundos.* Omnia heic consolatione plena.

Ad Jobum, mortalium afflictissimum, Amici, ut eum consolarentur, venerunt; sed ille, *Consolatores sibi molestos, ipsos vocat.* Job. c. 16. 2. At SPIRITUS SANCTUS

## A. CONSOLATOR est VERUS &amp; GENUINUS

## 1. PECCATORUM VERE PœNITENTIUM.

Hactenus magni fuimus peccatores, Nullum in carne nostra habitavit bonum. Rom. 7. 18. Mens nostra semper prava cogitat,

cogitat, voluntas mala concupiscit, appetitus noxia desiderat: à planta pedis usq; ad verticem capitis, non est integritas in nobis. Esaj. I. 6. ubique reatus mortis, pœnæ & damnationis. Psal. 38. 5.

Sed in tali angustia, Consolator Spiritus S. suo subvenit solatio, qui nobis monstrat

a. *Dei Gratiâ & Misericordiam*, de qua Psal. 103. v. 3, 4. Tit. 3. 4, 5.

b. *Christi Servatoris meritum*, qui non venit vocatum justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Matt. 9. 13. Luc. 19. 10.

Hic est agnus, qui tollit peccata mundi. Joh. 1. v. 29. Oriens ex alto, apprensus nobis in tenebris & umbra mortis positus. Luc. 1. 78, 79.

γ. *In Christi merito remissionem peccatorum*, Act. 10. v. 43. Mich. 7. 18, 19. Jes. 43. 24, 25. cap. 44. 22.

δ. *Remedium pœnitentiæ*, quæ morborum animæ est medicina, *ἰατρικὸν ἰατρὸς τῶν ἀμαρτωλῶν*. Lixivium, quo peccati nigredo abstergitur. Janua per quam in Ecclesiam ingredimur. Asylum, in quo à furore divinæ vindictæ tuti persistimus. Medium, quo ex peccatoribus Sancti, ex injustis justus, ex inimicis Dei, filij & hæredes ipsius, efficitur.

Quia verò cum pœnitentiâ fides conjuncta esse debet; hæc autem sæpiùs languescit, fiducia penè deficit, & spes cum desperatione, aut saltem illius metu luctatur, animusque noster, fidem sibi perijisse, querulatur, & nullam ampliùs à Domino salutem obtinere posse, Spiritus Sanctus etiam est

2. **CONSOLATOR INFIRMORUM**, qui certos eos reddit, *Spiritum fractum & contritum à Deo non sperni*. Psal. 51. 19. Psal. 34. 19. *Erigere illum lapsos*, Psal. 37. 24. *Arundinem quassatam non frangere, & ellychnium fumigans non extinguere*, Esaj. 42. 3. *esuriens implere bonis suis*. Luc. 1. 53. Et fidem nostram infirmam adaugere, ut vel quantulâ, quosvis adversitatum montes transponere, Luc. 17. v. 5. Marc. 11. v. 23. & pretiosam gratiæ Dei & meriti Christi gemmam apprehendere possimus.

Quia vita nostra, in hac peregrinatione, non potest esse  
sine

*sine tentatione*, nec quisquam sibi innotescit, nisi tentatus, benignissimus Deus noster, nos in tentationibus succumbere non patitur, sed largitur Spiritum S. qui est

3. CONSOLATOR TENTATORUM. *Tentatio est sal Christianorum.* Caro sale condita, non facile putrescit: Ita nec anima tentationibus assidue exercitata, devotionis fervorem amittit. Ubi nulla est tentatio, ibi nulla fides: ubi nulla fides, ibi nullus est Christianismus, ubi nullus Christianismus, ibi nulla salus.

Quàm necessarius nobis est panis quotidianus, tam necessaria quoque sunt tentationes, ut per illas excitemur ad Deum agnoscendum, & nos ipsos: Sunt enim quasi cos, ad quam virtus nostra acuitur.

Sunt verò etiam utiles. Quemadmodum enim Populus Jsraël, terram Canaan, nisi prius devictis hostibus, occupare non potuit: Ita nec anima hominis Christiani, coelorum regnum sibi, nisi devictis tentationibus omnibus, promittere potest. Quò quis in sacra tentationum palæstra exercitior, hoc brabejon ejus certius est, & præclarior.

Ad omnes sive Sathanæ, sive mundi, sive carnis, sive ipsius Dei (qui tamen neminem ad malum tentat, sed suorum tantum fidem & pietatem probat & exercet) tentationes facile superandas, *Consolator Spiritus Sanctus, adjutor est fidelissimus*, in gravissima cumprimis illa tentatione, quâ fidelis conqueritur: Quòd Spiritum Sanctum in se operantem non sentiat. Hinc largi in multis lachrymarum imbres, seria suspiria, & anxij gemitus ex Psal. 51. 14. *Redde mihi, ô Deus, gaudium salutis tuæ, &c.* In hac tentatione, Spiritu Sancto Consolatore maximè opus est. Tenendum igitur

- a. Sæpè fieri, ut salvandus aliquis, *Spiritus Sancti gratiam in se operantem habeat, & tamen eam non sentiat.* Ratio. Quia salus nostra, non à nostro judicio, conscientia, aut sensu dependet; sed à Dei gratia & dono. Qui verò Spiritum S. in se operantem non sentit, consolatione certè destituitur, quæ ex gratia Dei, & salutis suæ conscientia atque sensu fluit, quamvis salutem, sine dubio, sit obtenturus.

§. Tria ista, suo modo esse distincta:

1. Spiritum Sanctum habere.
2. Scire, quod Spiritum S. habeas.
3. Possè exponere, quomodo Spiritum S. habeas.

a. *Spiritum S. aliquando habent, qui se, illum habere, nec sciunt, nec sentiunt, velut*

¶ *Infantes ab utero matris sanctificati. Vide Luc. 1.15. 1. Cor. 7.14.*

2. *Qui in gravissima tentatione, quâ se à Deo desertos esse, sibi penitus imaginantur, Spiritum S. qui continuum gratiæ desiderium in ipsis excitat, habent, & tamen, quod habeant, non sentiunt.*

b. *Spiritum sanctum se habere sciunt, qui ex infallibilibus inhabitationis, & operationis ejus, in ipsis, signis, hoc indubitato colligunt.*

Quemadmodum enim mater, infantem in brachijs suis gestans, ex illius ploratu, & lactis materni appetitu, eum vivere, certo scit: sin verò multos dies conticescat, nec ullum motus signum edat, sed foetere incipiat, mortuum esse. *Ita filij Dei, Spiritum S. in se habitare sciunt, si peccata sua deplorent, Dei gratiam & peccatorum remissionem ardentè implorent, atque misericordiam sibi à Deo, in Christo factam esse agnoscant: si item sanctos in se motus sentiat, ad Deum diligendum, fiducialiter invocandum, & illi, in justitia & sanctitate serviendum.*

c. *Sunt, qui, quod Spiritum S. in se operantem habeant, exponere possunt, velut Prophetæ, Apostoli, Martyres, & alij Sanctæ fidei Christianæ Heroës. Alij verò hoc non possunt, aut confuse valdè, & imperfectè conantur magis, quàm præstant, quorum figura est Maria illa Joh. 20. v. 14. quæ retrorsum conversa, Jesum sibi astantem conspexit, nec tamen Jesum esse, sciebat. Ita multi in se operantem habent Spiritum S. sancta in ipsis suspiria, desideria, studiumque pietatis excitantem,*

Zzzz

qui

qui tamen vel per imperitiam, vel per infirmitatem, exponere aut comprehendere non possunt, quòd operationes istæ, operationes sint Spiritûs Sancti in ipsis.

In gravi hac tentatione, quâ Spiritûs Sancti in homine inhabitatio & operatio non sentitur, & exinde *gravis in animo luctus*, & *metus abjectionis à facie Dei* exoritur, maximè opus est, ut *Spiritus S.* officium suum *consolatorium* exequatur.

Exequitur autem hoc, quando *hominem tentatum* docet:

a. Vel *minima gratia Dei in homine desideria, certissima inhabitationis & operationis sua signa esse.*

b. Meminisse: Etsi ad tempus donorum & operationum Spiritûs Sancti copiam in se, homo non sentiat, *nihil hoc novi esse*, sed alijs Sanctis, & quidem quam plurimis idem evenisse. *Ratio*: quia in hac vita, *primicias tantum accipimus Spiritûs Sancti*, non ejusdem *decimas*. Rom. 8. 23. hoc est, mensuram ejus exiguam, si conferamus cum donis ejusdem, plenissimâ & perfectissimâ mensurâ accipiendis in vita aeterna.

4. Spiritus S. CONSOLATOR est AFFLICTORUM.

Nulla calamitas tam atrox, nullum infortunium tam ingens, nullum periculum tam horridum, nullus dolor tam exquisitus, nullus luctus tam pertinax, cui *Consolator*, Spiritus Sanctus, mederi non possit: qui

a. *Crucem & calamitatem omnem*, qualis qualis sit, patienter tolerandam suadet.

a. *Quia à manu Clementissimi Dei*, non tam premente, quàm medente infertur. Deut. 32. 39. 1. Sam. 2. 6, 7. Psal. 68. 20. 1. Thess. 3. 3.

b. *Quia omnis calamitas à Deo immissa, virtutis est thalamus*, Esaj. 28. 19. *incentivum ad preces*, Esa. 26. 16. *divini favoris nuntius*. Hebr. 12. 6. & *beatitudinis aeterna prodromus*. Act. 14. 22.

c. *Quia per crucis tolerantiam conformamur imaginì filij Dei*. Rom. 11. 17. 2. Tim. 2. 11, 12.

b. *Morbos ferre docet patienter,*

*Quia majus, quàm ferendo fumus, onus, Deus non impositurus est*, 1. Cor. 10. 13.

*Quia*

Quia Christus Servator noster, in omnibus similiter, sicut nos, tentatus, infirmitatum nostrarum sensu afficitur. Hebr. 4.15. Esaj. 53.2.

Quia ipse Deus est curator noster. Exod. 15.26.

- c. *Contra odia mundi*, consolatur nos exemplo Christi. Joh. c.15.18.
- d. *Calumnias intentatas à nobis vult contemni meditatione secururæ mercedis gratuitæ in cœlis*. Matth. 5.11,12.
- e. *Contra improborum contemptum*, magno nos jubet esse animo, & cum Paulo ex 1. Cor. 4. v. 3. dicere: *Mihi verò pro minimo est, quod à vobis dijudicer.* Sufficit nempe, ut magni simus in oculis Dei, licet parvi in oculis mundi.
- f. *In paupertate animum non despondere jubet*, quia *pauxillum, quod justus possidet, bonum est plus, quam copia sua improbis multis.* Psal. 37.16. Prov. 16.8. Luc. 12.15. Prov. c.10. v. 3.
- g. *In bellorum perpeßis injurijs*, consolatur Spiritus S. efficacissimè omnes istos, qui pacem cum Deo habent, & bellum cum vitijs.
- h. *Sanctorum maximè Martyrum, & omnium, qui propter nomen Christi, & Evangelium ejus persecutionem patiuntur, consolator est egregius, exemplo Apostolorum in genere omnium, Act. 5.41. in specie Pauli, Act. c. 20. v. 22-24. 2. Cor. c. 4. v. 8. seqq. Andreae, qui cruci affigendus, musculâ pronuntiavit voce: Si crucem exhorruissem, evangelium crucis non pradicâssem.* Ignatij, Ecclesiæ Antiochenæ Episcopi, qui bestijs objiciendus, magno animo edixit: *Ignis, crux, bestiarumq; constantia, abscissio, separatio, confractio, dissipatioq; membrorum, interitus totius corporis, & flagella Diaboli omnia in me veniant, ut Jesum Christum merear adipisci.* Quumq; jam adduceretur, ut rugientes Leones audiret, dixit: *Fruentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus Domino inveniar.* Johannis Husi, & Hieronymi Pragensis, qui virtute Spiritûs Sancti, veri fidelium Consolatoris, magnâ constantiâ, Constantiæ ignis supplicium pertulerunt. De utroque sic Æneas Sylvius (postea Papa, Pius II.) in Hist. sua Bohem. cap. 36. pag. m. 83. *Pertulerunt ambo con-*

stanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, qua miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis interciperi potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo, mortem pertulisse traditur, quam isti incendium.

De Hussio præterea, Martyrologium Latinum minus, lib. 2. pag. m. 175. narrat, quòd ei ad mortem jam condemnato calicem Episcopi abstulerint, & dixerint: O maledicte Juda, qui pacis consilium deserens, pacem cum Judeis confecisti, en, auferimus abs te calicem hunc, in quo sanguis Jesu Christi, in mundi redemptionem offertur. Ad hæc vicissim Hussium altâ voce exclamasse: Ego verò spem omnem & fiduciam in Deo Salvatore meo fixam habeo, constanterq; confido, quòd ille calicem salutis à me nunquam ablaturus sit, sed quòd ipsius presidio adjutus, eum in ipsiusmet regno, adhuc hodie sim bibiturus.

Item, priusquam carnifices coronam papyraceam capiti ipsius imponerent, dixisse ei Episcopos: Animam tuam devovemus & tradimus Diabolis omnibus. Ipsum verò complicatis & sursum elevatis manibus, atque oculis respondisse: Ego verò animam meam commendo Domino meo Jesu Christo.

De Hieronymo Pragensi Poggius Florentinus scribit: Hoc maximum constantis animi ejus signum fuisse, quòd, cum licitor ignem post tergum ejus, ne id videret, injicere vellet, dixerit: Huc accede, & in conspectu meo ignem accende, si enim illum timuisssem, nunquam in hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem. Hæc Spiritus Sancti, veri Consolatoris nostri effecta fuisse, quis, nisi emotæ, aut impie mentis homo, dubitet?

5. Spiritus S. CONSOLATOR est MORIENTIUM.

1. Sam. 15. 32. legimus, Agagum, Amalekitarum Regem, à Samuele occidendum, dixisse: Certè recessit amaritudo mortis.

a. Habet ergò mors amaritudinem in se.

•. Quia magnum & amplum est ejus dominium, ab Adamo, homine primo, ad usque ultimum in fine sæculi. Vis & potestas ejus tremenda nulli parci, omni-

omnibus insidiatur. Telum ipsius exitiale, peccatum est, falx acuta, facies horrenda, recordatio ingrata: Prodromi ejus curæ, sollicitudines, morbi, infirmitas, senectus. Varij casus mortem denuntiant latentem, imbecillitas apparentem, senectus præsentem.

**β.** Quia, quando in procinctu est, periculosè tentat, & peccatorum admissorum conscientia ita terret, ut hiantium flammantis barathri infernalis faucium profundam abyssum monstret, & Sathanica terribilissima præcipitationem in damnationem æternam commineatur.

**b.** Hanc amaritudinem mortis nemo depellere potest, quàm solus cælestis spiritus, verus ille fidelium morientium Consolator. Hic mortem intueri docet, non qualis est in se, extra Christum; sed qualis est in Christo, qui pungentem & lædentem morti aculeum eripuit, I. Cor. 15. 56. hoc est, peccata nostra obsignavit, iniquitates expiavit, & perpetuam justitiam adduxit. Dan. 9. 24. qui per mortem abolevit eum, penes quem mortis fuit robur, hoc est, Diabolum, Heb. 2. 14. A mortis verò per Dominum nostrum Jesum Christum devictione I. Cor. 15. 57. omnis ejus amaritudo recedit: Et prodit jam ab edente edulium, & ab acri dulce. Judic. c. 14. v. 14.

Læto igitur jam & hilari vultu, mortem, nos fideles, salutamus: *Adeſdum beata Mors, quæ Mundo nos eripis, & cælo locas. Tu finis es miseræ, Tu initium lætitiæ. Dormit corpus in sepulchro & tranquillè quiescit, vivit anima gloriosa in cælis: Tu portus es viatorum, & porta comprehensorum. Beati jam mortui, qui in Domino moriuntur, etiam dicit spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis.* Apoc. 14. 13. Joh. 5. 24.

Dubiam facit Sathan morienti electionem, peccatorum veniam, gratiam finalem? succurrit Spiritus S. Consolator, qui Christum monstrat, agnum Dei tollentem peccata mundi Joh. 1. 29. in quo fides nostra firma est, firma gratia, firma promissionum veritas, firma electio & dilectio Dei. Rom. 11. 29. Jer. 31. 3. Joh. 13. 1. 2. Tim. 2.

v. 19. *Majora sunt Christi merita, quàm nostra demerita, I. Cor. 6. v. 20. intensior Dei dilectio, quàm nostra pravaricatio. Rom. 5. 21. Esaj. 1. 18. Ezech. 33. v. 11. certius verbum Gratiae, Sanctum Domini nostri Jesu Christi evangelium, Sacramentorum signis exteriùs, & Spiritus Sancti arrhabone interiùs, in cordibus nostris confirmatum, quàm suggestiones Sathanæ, quibus certissimas Davidis benignitates fidelibus. Esaj. 55. v. 3. promissas, dubias reddere conatur. Num. 23. 19. Esaj. 54. 10. certa salus ipsa æterna, de qua August. medit. c. 23. *Felix animo, quæ terreno resoluta corpore, libera cælum petit, secunda & tranquilla non timet hostem, neq; mortem: Habet enim presentem, cernitq; indefinenter pulcherrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, ad quem lata & gloriosa pervenit. Hanc verò tanta beatitudinis gloriam nulla dies imminuet, nullus improbus poterit auferre.**

**B. Consolator hic verus & genuinus**

IN ELECTIS est, & APUD EOS MANET in æternum. Joh. 14. v. 16, 17.

In hac vita in ipsis operatur, eos regenerat, consolatur, defendit.

In altera vita, gloriosâ & beatificâ sui & totius SS. Trinitatis visione donat.

Imò verò, per Spiritum S. Pater & Filius, cum, & in electis manet, ut sint templa Patris, Filij & Spiritus S. I. Cor. 3. 16. & habitacula totius individua Trinitatis. Joh. 14. 23. 2. Cor. 6. 16. Hinc etiam Sigillum dicitur Spiritus S. Eph. 4. 30. quod cordi fidelium impressum, perpetuum nobis Dei favorem obsignat. Esaj. 59. 21.

**Ufus ad Informationem.**

I. *Donum Dei Patris & Filij omnium præstantissimum, Ecclesia sua datum, est Spiritus Sanctus Consolator.*

Audite Originem, *ἡ ἐξ ἀρχῆς* c. 7. de Sp. S. *Paracletus* verò quòd dicitur Spiritus Sanctus, à consolatione dicitur. *Paracletis* enim Latine *Consolatio* dicitur. Si quis namq; de Spiritu Sancto participare meruerit, cognitis ineffabilibus Sacramentis, consolationem sine dubio & lætitiâ cordis assumit. Cùm enim rationes omnium

que

qua fiunt, quare, vel qualiter fiant, spiritu indicante cognoverit, in nullo utiq<sup>3</sup> conturbari ejus anima poterit, aut ullum sensum timoris accipere.

Et Cyrillum Alexandr. in Esaj. I. 4. orat. 2. cap. 44. Aqua, quam Deus promittit, suppeditaturum se ambulanti in loco aquis carente, est Spiritus Sanctus. Vivifica res est aqua, & plantas ac gramina facit auferere, & quodam modo imitatur Sancti Spiritus energiam: per quem omnia constiterunt, & bene sunt, & firmantur, & intelligibilis creatura omnium bonorum accessione locupletatur, & velut asilit, & ascendit ad spirituale incrementum.

Tale beneficium Dei Patris & Filij, est Spiritus Sanctus, nobis datus,

a. Ut sanet omnia nostra vulnera externa & interna.

a. Externa, quæ ex jactura bonorum, valetudinis, & vitæ accipimus. In his enim confortat nos gratiâ suâ, & vires nostras solutas reparat, exemplo Danielis, cujus vires deficientes, manus Dei tangens restituit, eumque confirmavit. Dan. c. 10. v. 8, 10, 18.

b. Interna anxia conscientia. Pl. 103. 3. Pl. 147. 3.

β. Ut per Spiritum Sanctum acquiramus justitiam Christi, pacem conscientia & gaudium in Domino, Rom. c. 14. v. 17. & c. 5. v. 5. Verè hic gustus quidam est vitæ aeternæ, cum omnibus Perfarum gazis, & totius mundi thesauris non permutandus.

γ. Hic Spiritus S. verè est Columba Noachi, Gen. 8. 11. quæ ex arca evolans, in eam redijt. Spiritus Sanctus enim circa arcam Ecclesie & corda fidelium semper occupatur, & in calamitatum atque tentationum variarum diluvijs, ipsoque mortis agone, folia adfert olivæ, consolationes nempe evangelicas. Matth. 9. 2. Rom. 4. v. 25. c. 5. 1. 2. Joh. 5. 24.

II. Quentadmodum divinum & cæleste donum est Spiritus Sanctus, ita etiam Consolatoris hujus effectus, Consolatio ipsa, quam homo fidelis adversus omne malum, firmam habere potest.

a. Quia Deus Pater respectu fidelium, Deus est omnis consolationis, qui ipsos in omni afflictione consolatur. 2. Cor. c. 1. v. 3, 4.

b. Quia Christus principium est & fons, per quem fidelium consolatio exundat, 2. Cor. 1. 5. c. Quia

- c. Quia Spiritus Sanctus, fidelium omnium Paracletus, consolationem omnem ipsis impertit. Joh. 14. 16. c. 16. v. 7-13.
- d. Quia tota Scriptura, ad consolationem fidelium facit. Rom. c. 15. v. 4.
- e. Quia omnis consolatio Spiritus Sancti, valida redditur per immutabile Dei consilium, & omnigenam ejusdem confirmationem. Hebr. 6. 17, 18.

**Ufus** ad Consolationem. *Gratuletur sibi omnis, Christiani hominis valde afflicti & tristi, animus, de suavissimo hoc consolatore, per cujus efficacem consolationem cognoscit, se in Deo habitare, & Deum in se, ex Spiritu nempe Sancto, quem dedit. 1. Joh. 4. 13.*

Quod si enim hic Spiritus S. in homine habitat, nunquam in eo est otiosus, sed operatur virtutes sanctas. Gal. 5. 22. corda fidelium secura reddit, conscientiam ipsorum tranquillat. 1. Joh. 3. 19. & testatur unà cum Spiritu ipsorum, ipsos esse filios Dei. Rom. 8. 16.

**Ufus** ad Exhortationem. *Consugiamus ad hunc Consolatorem in omni adversitate. Petamus ab eo solatium omnes, senes & juvenes, viri & foeminae, juvenes & puellae, divites & pauperes.*

Ditissimum olim erat Josephi granarium, quod toti Aegypto, & finitimis oris, tempore famis, alimenta praebat; sed locupletius longè est Spiritus Sancti panarium, ex quo vivifica consolationis, pro omni afflictorum genere, argumenta, abundè depromuntur. Sequitur:

**II. Officium Spiritus Sancti, in omnem veritatem ductorium.** Propter hoc, *Spiritus Veritatis*, hoc loco, & Joh. 14. 17. appellatur.

Consideremus paulò accuratiùs

1. Cur Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis dicatur?
2. Quomodo Spiritus ille veritatis, nos in omnem veritatem inducat?

A. Cur Spiritus Sanctus, dicitur *Spiritus veritatis*?

Quemadmodum *ante lapsum*, Spiritu Sancto *Consolatore* non habuimus opus, quia nulli subiecti eramus miseriæ, à Deo ad lætiam atque tristitiam non creati, sed ad ipsius imaginem, cum qua summa animi conjuncta fuit lætitia in Deo & rebus creatis alijs. *Post lapsum* verò in peccatis concepti & nati, vitamque in quoridianis calamitatibus transigentes, & tandem cum dolore & luctu finientes, *Consolatore*, maximè habemus opus.

Ita neque *ante lapsum*, spiritu illo *veritatis*, ut eo, quo nunc, modo, in veritatem nos introduceret, habuimus opus, quia imago Dei, quæ in perfectâ veritate, sanctitate & iustitia consistebat, ab omni mendacio, errore & fallacia liberos & immunes nos præstiterat. Quia verò *post lapsum* miserandum, cæci nascimur, omnium salutis mysteriorum ignari, & ad mendacia, errores, vanasque falsitates, proclives, *Spiritu illo veritatis*, qui nos in omnem veritatem inducat, perinde ut *Consolatore* in ærumnis, maximè habemus opus.

Distinguit autem Spiritum Sanctum Christus epitheto *Veritatis*, à Spiritu *mendaci*, Sathanâ, qui in veritate non perstitit, sed relicto domicilio suo, omnium mendaciorum & errorum Pater & author factus est. Joh. c. 8. 44. Judæ v. 6. Spiritus mendacij. 1. Reg. 22. 22. Deceptor. 1. Tim. 4. 1.

Quemadmodum enim *Veritas*, partim *Proprietas* est Dei essentialis. Vide supra *Concione IX. de veritate Dei*: partim *Christus* etiam, *Servator* noster, *ipsa veritas* dicitur Joh. 14. 6. qui prospere equitat cum verbo veritatis Psal. 45. 5.

Ita Spiritus S. *Spiritus est veritatis*.

- a. Ratione *Essentiæ suæ*, quam cum Patre & Filio habet communem. 1. Joh. 5. 6.
- b. Ratione *Proprietatum divinarum*, quarum virtute, verissima est ipsius in verbo expressa doctrina, promissionumque veritas indubia.
- c. Ratione *officij*, per quod, sicut veritatem in se ipso habet, ita eandem alijs etiam inspirat, & eos in omnem veritatem inducit. Joh. 16. 13.

## B. Quomodo Spiritus ille veritatis, in omnem veritatem inducit?

A a a a a

Veri-

*Veritas ad salutem necessaria, vel Sanctæ fidei est, vel vitæ sanctificatæ. In utramque Spiritus S. inducit.*

**N.** In veritatem Sanctæ Fidei, seu *Doctrinæ Christianæ & salutariæ*. Spiritus Sanctus enim *unctio est, quæ nos omnia docet.* 1. Joh. 2. 27. & *digitus Dei*, Luc. 11. v. 20. *qui inscribit cordibus nostris, Christum Jesum esse Dominum.* 1. Cor. 12. 3.

Hoc verò suum officium non peragit *immediatè*, per singularem quandam *ἐλαμπύω*, sed *per certa quadam ad hanc rem destinata media*, qualia sunt

a. In genere, *Sanctum Ecclesiæ ministerium*, quod *ministerium* dicitur *Spiritus* 2. Cor. 3. 6, 8. quia Spiritus S. Inspectores constituit in Ecclesia, Act. 20. 28. per quos oppidatim testatur, Act. 20. 23.

β. In specie.

a. *Verbum Dei*, quod *veritas est*, Joh. 17. 17. Jac. 1. 18. 1. Petr. c. 1. v. 23.

b. *Sacramenta*, quæ cum verbo juncta, vehiculum suo modo sunt *Spiritus Sancti*, cujus medio ad nos venit, nos ducit, regenerat, renovat, regit, servat. Tit. 3. v. 5. *salutem obfignat.*

Per ministerium, Verbum & Sacramenta, Spiritus S. *veritatem divinam nobis aperit*, corda nostra illuminat, erroris nebulas pellit, & *mysteriorum salutis notitiâ instruit*, ut per hanc vitam consequamur æternam, Joh. 17. 3.

Quemadmodum igitur olim Spiritu Sancto acti, locuti sunt Prophetæ, Apostoli, & alij Sancti Viri, 2. Pet. 1. 21. Ita nunc quoque Spiritus Sanctus

1. *Per Ecclesiæ ministros loquitur.* Matth. 10. 20. quorum ori verba sua indit, Jerem. 1. 9. & jubet eloqui, quicquid præceperit ipsis Jer. 1. 17. *Instruit eos donis ad officij functionem necessarijs* 1. Cor. 12. tot. & edit voce suâ per eos vocem robustam Ps. 68. 34. ita ut stillet tanquam pluvia, disciplina ejus, & fluat tanquam ros, sermo ejus, Deut. 32. 2.

Ita verò per Ecclesiæ ministros, *docet in Ecclesiæ veritatem* de Deo, de scriptura S. de Creatione, de lapsu hominis, de Redemtionem nostram per Christum, de Ele-

de Electione, vocatione, justificatione, sanctificatione, sanctorum perseverantia, & æterna glorificatione, &c. Et quæcunque de articulis his Religionis Christianæ, in Ecclesia prædicantur verba, ea, vacua ad Dominum non revertuntur, sed faciunt id, quo Dominus delectatur. Esaj. c.55. 10. 11.

2. *Et Doctores & Auditores, per Verbum & Sacramenta, in agnita veritate confirmat, Spiritum firmum intra illos renovando. Ps. 51. 12. ut per veritatem suam incendiant, faciendo. Ps. 25. 5. eosque perficiendo, stabiliendo, roborando, & fundando. 1. Petr. 5. 10.*

Quicquid ergò ad salutem intelligimus, cogitamus, loquimur, prædicamus, docemus, id omne à Spiritu veritatis unice dependet.

3. *Quando Ministri Ecclesie, Verbum veritatis prædicant, à Spiritu veritatis utrumque est, partim, quòd, quæ Ministri annuntiant, ipsi intelligunt, partim, quòd verbum prædicatum & auditum, in cor Auditoris penetrat, germinat & fructum fert: quod ipsum nec humana, nec angelica perficit facundia, sed solus Spiritus Sanctus, Spiritus ille veritatis. Hinc Greg. Nazianz. Nisi Spiritus S. intus sit & doceat, in vanum lingua docentis laborat. Non possum, quin elegans etiam Augustini simile heic adscribam, qui Tract. 3. in Joh. Epist. ita scribit: Sic sunt ista verba, Fratres, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem: Forinsecus operatur, & adhibet aquam & diligentiam culturæ. Qualibet forinsecus adhibeat, nunquid poma format? nunquid nuditatem lignorum vestit umbra foliorum? nunquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed qui agit hoc? Audite agricolam Apostolum, & videte, quid sumus, & audite magistrum interiorem: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit: neque, qui plantat, neque, qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, id est, unctio illius, qui docet vos de omnibus. Nos, qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus, quasi operarii, adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare. Ille autem,*

qui vos creavit, & redemit, & vocavit, per fidem & spiritum suum habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa nos perstrepiamus.

2. In Veritatem vitæ sanctificatæ. Spiritus Veritatis, Spiritus ille bonus est, quo Deus nos deducit per terram planam. Psalm. 145. 10. in via justitiæ, sanctitatis, pietatis & virtutum aliarum, ut pergamus ab acie ad aciem. Ps. 84. 8. & animas nostras purificemus auscultando veritati per Spiritum. I. Petr. C. I. V. 22.

*Observandum hic est:* Veritatem vitæ sanctificatæ, in quam nos Spiritus S. inducit, *Veritatem esse vel Politicam, vel Theologicam.*

- a. Politica Veritas, in externa vitæ cum Proximo conversatione, locum habet, & *Practica* dicitur.

Hæc congruentia est cordis & oris, de qua Prov. 12. v. 17. *Labium verax stabilitur in aeternum.*

Commendat hanc Zach. 8. 16. *Loquimini veritatem, alter cum altero: & Paulus Phil. 4. 8. Fratres, quacunq; vera sunt, cogitate.* Vide etiam Eph. 4. 28. Syr. 4. 30.

Fuit hæc etiam apud Gentiles *Venerabilis*, hinc eam, *rerum humanarum Dominam, & Jovis filiam* appellârunt.

Hujus usus & necessitas in rebus humanis magna est, in juramentis, in dandis consilijs, in hominum recommendationibus, in contractibus, & in ipso Religionis negotio. Nihil veritate dulcius, nullus animo cibus suavior, nulla jucundior homini voluptas est. Sed hoc *Veritatis studium*, quod in Ethnicis, & inconvertis, seu nondum regenitis Christianis, Sanctum quidem est Spiritus sancti, sed non sanctificans donum, quia fide destituuntur: in electis autem Sanctificans est, quia cum fide conjunctum, Deo est acceptum, quia sola nos Deo commendat fides.

- b. *Ad Veritatem Theologicam*, omnia salutis mysteria pertinent, quæ in claro & perspicuo Dei verbo, aperte & expresse proponuntur.

Nulla in hac veritate Theologica, hypocrisis est; nulla beneficiorum Christi obliteratio, nulla conscientie gehenna, nullum onus, nulla crux: Nihil in hac obscurum,

obscurum, nulla hinc Æthiopum, aut Ægyptiorum hieroglyphica, nulla Pythagoræ symbola, nulla mysteria Eleusinia, nulla Platonis Mathematicarum figurarum involucria, nullæ Orphei, Musæi, Lini, Empedoclis fabulæ; sed Spiritus Christi nuda & simplex veritas. Docet enim nos Spiritus Veritatis

1. *Rectè credere.* Joh. 6. 29. quia est Spiritus Fidei. 2. Cor. 4. 13.

2. *Rectè de peccatis admisissis pœnitere*, quia vera pœnitentia, prima est in Ecclesiam Christianam janua. Marc. 1. 15.

3. *Rectè vivere.* Gal. 2. 20. Tit. 2. 11, 12, 14.

4. *Rectè diligere*, a. *Deum*, quia dilectio Dei, fons est omnis pietatis.

b. *Proximum.* Joh. 13. 34. I. Joh. 3. 18.

5. *Rectè pati.* In gymnasio enim patientiæ heic vivimus, in quo multa dura patienter sunt devoranda. Hebr. c. 10. 36.

6. *Rectè orare*, quæ ars est supra omnes artes.

7. *Rectè mori*, quod totum hominis est, quia à morte æternitas dependet. Eccl. 11. 3. *Vita heic recipitur aut amittitur.* Cypr.

Hæc omnia docet unus ille Spiritus veritatis, qui fidelissimè nos instruit in sapientia admirabili, cui nemo resistere potest.

Act. 6. 10. Luc. 21. 15.

In sanctitate delectabili, cujus beneficio actiones corporis mortificamus Rom. 8. 13. & propter sanguinem agni, ipsum Sathanam superamus. Apoc. 12. 11.

In fiducia insuperabili, quâ pleni Spiritu sancto, intento animo videmus gloriam Dei, Jesum adstantem ad dextram ejus. Act. 7. 55.

Præstat autem hæc, Spiritus ille Veritatis sanctus, Electis,

1. Quia Spiritus est spontaneus, seu ingenuitatis, qui eos sustentat. Psal. 51. 14. idque per gratiam reprimentem, ne odio, homicidio, adulterio, furto, aut alijs ejusmodi peccatis notorijs conscientiam commaculent.

2. Quia Spiritus est Gratia, Zach. 12. 10, qui in electis operatur

per Gratiam pravenientem, concurrentem, assistentem, subsequentem, coronantem. Vide supra Concione XV. de Gratia Dei.

3. Quia Spiritus est precum, Zach.12.10. qui ad orandum impellit, orare docet, & pro nobis, apud Patrem, suspirijs inenarrabilibus interpellat, Rom.8.26.

Spiritus hic Veritatis, Patriarchas Deum agnoscere & colere docuit: ornavit eosdem eximiâ sanctitate: Prophetas futurorum illustravit notiâ .i. Petr.1. v.10-12. Apostolos omnium linguarum, & salutis mysteriorum cognitione & scientiâ ditavit. In Davide fervorem precandi excitavit. Josephum & Susannam castos effecit & conservavit: Salomonem fecit sapientem, Simsonem fortem & robustum, & plures alios in fide magnanimos, in spe & patientia longanimes, in amore & dilectione unanimes, in adversis fortes, in prosperis humiles, & in omnibus atque ad omnia faciles & Deo acceptabiles.

Usus ad Informationem.

- A. Spiritus Sanctus, qui in omnem veritatem inducit, & prædicatio evangelij, ab invicem separanda non sunt.

Quemadmodum enim Spiritus S. Spiritus est veritatis, ita prædicatio Evangelij, prædicatio est verbi veritatis. Jac.1.18. ex quo ὑπακούθη τῆς ἀληθείας, obedientiam Veritati præstandam docet. 1. Petr.1.22.

Egregiè & indissolubiliter Spiritum Sanctum, & verbum Evangelij ipse Deus conjungit Esa.59.21. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo: non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Jehova.

- a. Spiritus Sanctus, Spiritus ille veritatis, hic promissus,  
 a. Doctor est sapientia, qui, ut nos in omnem veritatem inducat, à seculis tacita revelat, & ab omni intellectu abscondita manifestat: Scrutatur enim secreta Dei, 1. Cor.2.10. & ea gratificatur nobis, quæ nostrâ, scire, interest. 1. Cor.2.12. Quos hic Spiritus afflat, continuè sapientes facit & doctos, sicut Apostolos Joh.20.22. Act.2.1. seqq. ut per istam sapientiam, ex ipsius gratia & indultu

dultu acceptam, ad mysteriorum cœlestium notitiam, ad Deum, ad fidem, ad Cœlum, ad Salutem æternam perducantur.

- b. *Doctor est eloquentia*, cujus, & à quo est *lingua erudita*, per quam defensis tempestivè dicitur verbum, Esaj. 50. 4. Qui mysteriorum Evangelij dispensatoribus, *os largitur & Sapientiam*, ut mente eorum, donis ipsius imbutâ, aureum ex ore ipsorum fluat eloquium, ad Deum adorandum, ad magnalia ipsius depredicanda, & ad Proximum in negatio salutis erudiendum.

Cum *sapientia & eloquentia* hujus Doctoris, conjuncta etiam est *potentia*: Nam armata sunt verba Spiritûs sancti, & vox ejus, instar tonitruï, Psal. 29. 4. & 68. 34.

Fulminavit olim verbis inter Athenienses *Pericles* Orator disertissimus, cujus vis dicendi terrorem Auditoribus incussit. Sed fortius est & *potentius Spiritûs sancti eloquium*, quod velut fulgur micat, velut tonitru sonum latè edit, & velut urens atque findens fulmen, animos accendit, commovet, aut comminuit.

- β. *Verbum veritatis, sicut malleus, dura & lapidea corda conterit*, Jer. 23. 29. Vivum enim est, & efficax, quovis ancipiti gladio penetrantius. Hebr. 4. 12. *penetrat in corda, velut sagitta nitida*. Esaj. 59. 2. eaque fœcundat, velut nix & pluvia terram. Esaj. 55. 10. 11. ut fructum adferant per patientiam Luc. 8. 15.

B. Vtroque, Spiritu nempe Veritatis, & verbo Veritatis, Doctore & ductore in omnem veritatem, ad salutem æternam consequendam, valdè habemus opus: Sine hoc enim, curru & equis aurigâ destitutis similes essemus; & navi, sævis maris fluctibus agitatae, quæ Patronum & nauclerum non habet, funesto interitui obnoxia.

*Necessarius est nobis ros Dei, ut non conburamur, neque infructuosi efficiamur.* Jren. Hic verò ros Dei, Spiritus Veritatis est.

Necessaria

Necessaria nobis est *Veritas doctrina & vita*. Sicut enim in vinea, multi usque ad pralum, uva gradus sunt, & primum necesse est, ut vitis gemmet in pampinis, & spem promittat in floribus: dehinc, ut flore decusso futuri botri species deformatur, paulatimq; turgescens uva parturiat, ut pressa torcularibus, dulcia musta desudet: Ita & in doctrina, singuli beatitudinum sunt profectus, ut audiat quis Verbum Dei, ut concipiat, ut in utero anima ejus adolescat, & ad partum usque perveniat: ut cum pepererit illum, lacte enutriat, & per infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ad perfectum usque Virum perducatur. Hieron. l. 2. in ep. ad Gal. c. 4. Hæc verò omnia docet nos *Spiritus Veritatis*, per *Verbum Veritatis*.

**Ufus Correct.** *Illorum*, qui à Spiritu Veritatis, in *Veritatem fidei & vite*, se induci non patiuntur, sed Dei consilium ad versus semetipsos rejicientes, Luc. 7. 30. in Christianismo tepidi, hypocritæ, apostatæ, helluones, adulatores, adulteri, &c. *Spiritus maligno totos se regendos committunt*. Eph. 2. 2. & è Sathanæ laqueis, à quo captivi tenentur, elabi, mentisque sanitatem recipere, 2. Tim. 2. 26. etiam per miserationes Dei, rogati Rom. 12. 1. 2. recusant. *O miseram horum sortem!* Peribunt pro eo, quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. 2. Thess. 2. 10. Et, quia veritati non obtemperant, obtemperant autem injustitiæ, reddetur eis excandescencia & ira. &c. Rom. 2. 8, 9.

**Ufus ad Elenchum** *Enthusiastarum*, & confimilis facis hominum, quibus somnia sua, afflatus internos, illuminationes momentaneas, & colloquia ficta angelica majoris faciunt, quam *Spiritus Veritatis*; in Scriptura, & per Scripturam loquentem: communem verbi sacri lectionem & conciones frustraneas & otiosas clamant, imò balatum externum, qui aures tantùm repleat; sonum vacuum, qui in templis lapideis edatur, & evanescat; vocemque humanam, cum qua nulla virtus sit conjuncta. Refutationem erronei hujus dogmatis vide in *Prolegom. nostris*, pag. 137, 138. Nihil, præter Spiritum, fatui *Enthusiastæ* crepant, & Spiritum tamen Dei ignorant, quia ministerium Spiritus rejiciunt & blasphemant, 2. Cor. 3. 8.

**Ufus ad exhortationem.** Quod si per Spiritum Veritatis, in omnem veritatem

veritatem induci & erudiri ad salutem volumus, dependeamus ab hoc uno & solo Doctore, ut ab hoc per Verbum Veritatis, obtineamus agnitionem veritatis, qua est secundum pietatem Tit. I. I. Spiritus enim Veritatis, & Verbum Veritatis, duo sunt oculi, quibus, quod verum est, videmus, & quod æquum est, cognoscimus. Igitur,

1. Verbum Veritatis diligenter legamus, devotè audiamus, piè meditemur, sollicitè in corde puro conservemus, & fructum ejus in patientia adferamus. Huc facit illud Augustini: Lectio inquirat, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Item: Patent libri Dei, non avertamus ad spectum, clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Libr. de bono perfect. c. 8. Et Tertull. de Resurr. carnis c. 37. Sermo Dei in causam vita appetendus, auditu devorandus, intellectu ruminandus, & fide digerendus. Audiamus, quid loquatur Deus ille fortis Jehova. Pf. 85. 9.
2. Ut lecta, audita, ruminata, meditata intelligere, fidemq; & vitam nostram ad eorum ductum componere possimus, Oremus cum B. August. ex libr. medit. c. 9. Veni humilium doctor, superbiorum destructor. Tu ex vera lux, lumen veridicum, ignis Dei & magister spirituum, qui unctione tua doces nos omnem veritatem, Spiritus veritatis, sine quo impossibile est placere Deo. Et cum Fulgentio l. I. ad Monim. c. 4. Ab ipsa veritate postulo doceri multa plura, qua nescio, à qua accepi pauca, qua scio. Ipsam rogo, ut praveniente & subsequente misericordia, quacunque salubriter scienda nescio, doceat me: in his, qua vera novi, custodiat me: in quibus ut homo fallor, corrigat me: in quibus verè titubo, confirmet me, & à falsis ac noxijs eripiat me, ut in cogitationibus ac sermonibus meis, quod salubriter donat, inveniat, & ea faciat de ore meo procedere, qua sint coram ipso principaliter grata, & sic fiant cunctis fidelibus accepta.
3. Veritatem caelestem semel apprehensam constanter asseramus, & religiosè fortiterq; defendamus, juxta monitum Syracidis cap. 4. 33. Ad mortem usque certa pro veritate, & Dominus Deus pugnabit pro te. Nam veritas nihil erubescit, nisi abscondi. Tertull. At amator veritatis nullum formidat reprehensorem.

Ufus ad consolationem. Veritas, Cicerone teste, tantam semper habuit potentiam, ut nullis machinis, aut cujusquam hominis ingenio & arte subverti

Bbbbbb

potuerit;

potuerit; & licet in causis, nullum Patronum aut defensore[m] obtineat, tamen per se, ipsa defenditur. At veritas divina, fortior est humana, fortissima omnium. Omnis terra veritatem invocat, cœlum benedicit ipsi, & omnia opera commoventur & contremiscunt ab ea, neque est apud eum iniquum quicquam. Esdræ libr. 3. cap. 4. v. 35, 36.

Consolatur hæc afflictos in omnibus tribulationibus, angustiis & tentationibus. Spiritus sanctus, Spiritus ille Veritatis, Deus est, quod superius asseruimus: sicut igitur ille vera docet, ita etiam vera sunt, quacunque pollicetur & promittit. Ergo, si vel cœlum ruat, ut aliquando ruiturum est, vel terra intreat, ut aliquando interitura est, verbum tamen Dei, & promissa in eo veritas exauditionis precum nostrarum, solatij, auxiliij & salutis, inconcussa stabunt. Esaj. 40. v. 8. cap. 54. 10. Luc. 21. 33. Quod Deus promittit, hoc ipse facit. Propter sentent. 45. Deus verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli, & decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ, perfidus fluctuas? Vide plura, supra Conc. IX. de Veritate Dei. pag. 366.

Accedimus

### III. Ad officium Spiritûs Sancti testificatorium.

De hoc Christus in textu v. 26, 27. Ille; Spiritus Veritatis; testabitur de me. Sed & vos testabimini, quia à principio mecum fuistis.

Plura, hæc verba, habent in recessu, quàm primâ fronte promittunt: in quibus duo notanda veniunt:

- I. Quid porro operetur Spiritus Sanctus, à Patre & Filio emanans, & fidelibus datus? Testatur de Christo.
- II. Quæ causa sit sanctæ hujus, ipsius operationis?
  - A. Quid operatur Spiritus Sanctus?

1. Testatur de Christo, hoc est, ex tota Scriptura Sacra V. & N.T. ostendit, Jesum esse Christum illum. Act. 18. 28. Verum Deum, & vitam æternam. 1. Joh. 5. 20. Mediatorem Dei & Hominum. 1. Tim. 2. 5. Esaj. 49. 6.

2. Docet Apostolos, & omnes omni tempore fideles, patenter de Christo testari: hoc est,

a. Per

- a. Per *testimonium suum*, fidem in Christum, in electorum cordibus obstat.
- b. Requirit Apostolos & omnes fideles sibi *in testes*, hoc est, fortes *nominis & evangelij sui confessores*.
- B. Causa.** Propter quam Spiritus Sanctus, testimonium hoc de Christo, in fidelibus operatur, *alia* deprehenditur in Apostolis, *alia* in alijs fidelibus, singulis ætatibus.

1. *In Apostolis*, quia Apostoli à principio cum Christo fuerunt. v.27. doctrinæ ejus, miraculorum, vitæ, passionis, mortis, resurrectionis, & ascensionis spectatores : Hinc Johannes 1.ep.c.1.v.1,3. *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostra contrectarunt de sermone vita, id testamur & annuntiamus vobis.*
2. *In alijs fidelibus*, singulis ætatibus, quia illi, & nos, nostro hoc tempore, cum ipsis, ab initio, cum Christo sumus,

*Non quidem corpore*, multa post ipsum secula nati :

*Sed cognitione Scripturae Sacrae & mysteriorum salutis, ex imperio æterni Dei, ad obedientiam fidei nobis declaratorum.*  
Rom.16.26.

**A. Spiritus Sanctus officium suum de Christo testificatorium administrat**

**1. Immediatè per se ipsum,**

- a. Quando in *Baptismo Christi*, Matth.3.16. in specie columba, super ipsum è cælo descendens, ipsum Filium Dei & Servatorem mundi testatus fuit. Joh.1.32,33.
- b. Quando in *Transfiguratione Christi* in monte Thabor, *nubes* (Spiritus Sancti hieroglyphicum) eum inumbravit. Luc.9.34.
- c. Quando *primâ N. T. Pentecoste*, sub symbolo *linguarum ignitarum, & dispersarum*, Apostolos replevit, & donis suis instruxit, ut varijs linguis, magnalia Dei annunciare, & Christum crucifixum atque resuscitatum, Mundo Servatorem prædicare potuerint. Act.2.1. seqq.

**2. Mediatè.**

**N. Externè,**

1. *Per Scripturam Sacram*, non libitu hominum allatam  
2. Petr. 1. 21. Sed à Deo inspiratam. 2. Tim. 3. 16. quæ  
diligenti scrutinio eventitata, universa, testimo-  
nium de Christo perhibet. Joh. 5. 39.
2. *Per Sacramenta*, quæ visibile verbum sunt, cujus nu-  
cleus solus Christus Jesus est, cum toto merito  
& omnibus beneficiis suis.
3. *Per sacrum ministerium*, quod ministerium Spiritus est,  
2. Cor. 3. 8. per quod in Ecclesia sermo reconcilia-  
tionis disponitur, quo Mundum Deo in Christo  
reconciliatum esse, prædicatur. 2. Cor. 5. 19. *Hoc  
ministerio functi sunt*
- a. *In V. T. Prophetæ*. Luc. 1. 70. 1. Petr. 1. 10. Act. 3. 18.  
Act. 26. v. 22, 23.
- b. *In N. Testamento*,
- a. *Apostoli*, qui testes eorum, quæ cum  
Christo gesta sunt, Hierosolymis  
prædicare inceperunt, & postea  
apud omnes gentes in toto orbe  
prædicarunt. Luc. 24. 47, 48.
- ß. *Omnes orthodoxæ Ecclesiæ Doctores*, qua-  
lium inde à temporibus Apostolo-  
rum, usque ad hæc nostra tempora,  
magnæ fuerunt catervæ, testes ve-  
ritatis in mediis etiam Papatus te-  
nebris.
3. *Internè*, in cordibus fidelium, cum quorum Spiritu testatur,  
quod Filij Dei sint & hæredes, cohæredes autem  
Christi, Rom. 8. 16, 17. ipsius solius sanguine &  
merito redempti. Rom. 3. 25.

#### Ufus ad Informationem.

1. *Scripta Evangelistarum & Apostolorum*, certissimum & verissimum  
comprehendunt testimonium, quod Spiritus Sanctus eos Christo per-  
hibere docuit. Perbiberunt autem Christo, ex instinctu Spiritus  
Sancti, testimonium.
2. *Ore*. Exiverunt enim in omnem mundum ad præ-  
dicandum evangelium, juxta mandatum  
Christi Matth. 28. 19. Confer Matth. 10. 20.  
Pl. 19.

Pf.19.5. Rom.10.18. *Quo autem non pervenit pes Apostolorum, eò pervenit sonus eorum.* Augustin, vide etiam Coloss.1.23.

**b. Scripto.** Est, qui ore aliquid testatur, manu verò & calamo idem testari recusat. Sed Apostoli, scriptis suis, idem testati sunt, quod ore prædicaverunt, idque in historia sua evangelica, in Actis Apostolicis, in epistolis Paulinis & catholicis, atque in Apocalypsi Johannis. Qui libri, jussu & autoritate Domini nostri Jesu Christi exarati, Apoc.1.11.&c.14.13. velut testimonia Spiritûs Sancti de Christo, *per Apostolos edita, prodierunt in fundamentum & columnam fidei nostræ.* Irenæus, ut earum rerum veritatem cognoscere-mus, quas auditione acceperamus. Luc.1.4. Joh.20.31.

**c. Sanguine & Martyrio :** Siquidem omnes, excepto Johanne, violentâ morte, propter evangelium Jesu Christi, sunt sublati : Et ipse Johannes, persecutiones, odia, carceres, exilia pertulit, & venena, propter Christi causam, sed sine noxa, bibit.

*Sub Antichristi, juxta Pauli vaticinium 2. Theff.2.3,4. invalescentis temporibus, & sub Apostasia magna, testimonium Apostolorum de Christo, Spiritu Sancto dictante prolatum, ad tempus quidem fuit occultatum : Sed Avorum, Majorumq; nostrorum temporibus, per singularem Dei gratiam, Ecclesijs nostris restitutum, & abinde, per duos illos Testes, mille ducentos sexaginta dies prophetantes, qui duo oleæ sunt, & duo candelabra, per quos Deus oleum Gratia, & lucem cognitionis suæ in Ecclesia semper conservat, Apoc.12.3,4. propagatum.*

*Per hoc Apostolorum, & duorum testium Apocalypti-corum, hoc est, totius in Ecclesia conservati Ministerij purioris testimonium, glorificatur Filius Dei. Joh.16.14. hoc est, toti Mundo Θεὸς υἱὸς ὁμοίου, unicum Ecclesiæ & salutis fundamentum 1. Cor.3.12. solus, verus, & perfectus Generis humani Servator declaratur. Act.4.12.1. Tim.2.*

5. confer Act. 1. 8. Luc. 24. 46-49. Act. 2. 32. c. 5. 32.  
*Apostoli igitur, Testes sunt, omni exceptione majores.*

- α. *Oculati & auriti.* 1. Joh. 1. 1. qui Christum audiverunt evangelium Regni prædicantem. Luc. 8. 10. viderunt miracula operantem. Matth. 11. 4. 5. in cruce patientem, morientem. Joh. 19. 35. & cum eo, posteaquam resurrexit à mortuis, comederunt ac biberunt. Act. 10. 41. c. 4. 20.
- β. *Legitimè requisiti, vocati & jurati.* Luc. 24. 46-49. hinc Act. 10. 41. dicuntur testes præordinati.
- γ. *Probi & fideles,* ab ipso Spiritu Sancto in omnem veritatem inducti. Joh. 16. 13. & quid testari debeant, edocti. ibid. & Act. 2. 4. qui etiam testimonium eorum subsequenter signis atque miraculis confirmavit. Marc. 16. 17.

*Ministri moderni Evangelici, testes de Christo, in Ecclesia Apostolis sunt succenturiati, quorum operam Deus adhibet, partim ad Ecclesiam suam restaurandam, partim ad Babylonis perniciem maturandam: Qui, quamvis numero sint pauci, comparati cum magno numero locustarum, ex ascendente abyssi fumo, in terram exeuntium, Apoc. 9. 2, 3. sufficit tamen eorum, stigmata Christi in corpore suo portantium Gal. 6. 17. testimonium, ex Apostolico depromptum, ad cœlestem veritatem defendendam adversus omnes Antichristi strophas & calumnias, siquidem in ore duorum aut trium testium, omnis est veritas. Deut. 19. 15.*

*Testium equidem nostrorum, hoc est, Sancti Evangelij, Jesu Christi Ministrorum Vocationem, in dubium vocat Pontificij, ed, quòd non sint vocati & initiati à Papa Romano, ejusque Episcopis & suffraganeis. Sed respondemus illis:*

- 1. *Vocationem nostram hoc confirmare, quòd non nisi Spiritus Sancti testimonium in scriptura & per Prophetas & Apostolos expressum predicamus, idq; non sine efficaci Spiritus Sancti cooperatione. Vocatio illegitima & doctrina vera atque cœlestis, secum invicem non concordant; sicut neque*

que vocatio legitima & doctrina erronea. Quemadmodum autem Petro Evangelium in domo Cornelij prædicante, Spiritus Sanctus illapsus est in omnes, qui sermonem ipsius audiebant; ex quo pronunciavit, *aquam neminem prohibere posse, quo minus isti baptizentur.* Act. 10. v. 44-47. Ita virtus divina, cum prædicatione nostra efficacissimè cooperans, sufficientissimum est, & infallibile legitimæ nostræ vocationis *πικρήριον.*

2. *Diligentem nostram verbi prædicationem, à testimonio Spiritus Sancti, in Scriptura Sacra lato, ne latum quidem unguem, secessionem; & indefessum in docenda vera Dei & Christi ejus agnitione, fide & pietate laborem, vocationem nostram confirmare: & otiosorum Monachorum agmina confundere, quos Deus, ad Ecclesiam onerandam, & viduarum domos longarum precum specie exedendas, Matth. 23. 14. nec vocavit, nec misit.*

II. *Egregia Veteris & Novi Testamenti harmonia est, quia utrumq; testimonia à Spiritu S. dictata, verissima, sanctissima & indubitata complectitur de Jesu Christo Servatore nostro, qui ὁ ἀυτὸς, idem ipse est heri, in Veteri Testamento, hodie, in Novo Testamento, & in secula. | Hebr. 13. v. 8. Idem nempe Veteris & Novi Testamenti Mediator & servator. Act. 15. v. 11. Idem Propheta & Doctor, Rom. 1. 2, 3. Idem Sacerdos & Sacrificium. Hebr. 9. 14. Apoc. 13. 8. Idem Rex. Esaj. 33. v. 22. Idem doctrinae fundamentum, Eph. 2. 20. Eadem in utroque Testamento in Christum fides. Hebr. c. 11. tot. Eadem Sacramenta, in signis quidem diversa, sed in re significata, paria. August. Tr. 26. in Joh. Eadem beneficia efficacissimi ipsius meriti, quæ sunt Adeptio, Justificatio, Sanctificatio, & ipsa salus æterna.*

*Harmonia hæc Prophetarum & Apostolicorum de Christo testimoniorum, confirmat*

1. *Certitudinem & antiquitatem veræ Religionis nostræ, quæ sola,*

sola testimonijs indubitatis ipsius Spiritus Sancti, in Scriptura S. expressis, niritur; adeoque antiquitas temporis est, & rei: *non solius temporis*, quæ sine re, inveteratus error est.

2. *Certitudinem salutis nostræ*. Rom. 8. 16, 17.

### Usus ad Elenchum

#### 1. Pontificiorum.

Qui a. *Testimonium Spiritus Sancti* in Scriptura loquentis, vel planè negant, & Scripturam S. mutum mortuumque Doctorem & judicem appellant, qui sine interpretatione & declaratione Pontificis Romani, controversias fidei decidere, adeoque de Christo hominem sufficienter ad salutem erudire non possit. *Vel, sine autoritate ejusdem Pontificis, Scripturas Sacras non plus valere, quàm valent Aesopi fabula.*

Hos errores supra vide refutatos in Prolegom. pag. 302. 413. &c.

b. *In testimoniorum Spiritus Sancti ordinem, gradum & dignitatem, vel libros Apocryphos extollunt, vel fictos supponunt, vel Traditiones suas Ecclesiasticas.*

Vide supra, Prolegom. de Apocryphis: pag. 176. seq. de suppositiis: pag. 182. de Traditionibus pag. 213. seqq.

c. *Hominis Christiani & fidelis certitudinem salutis, adeoque ipsius Spiritus Sancti testimoniam in illo, perfidè contra Christi assertionem negant.* Nam, quando Spiritus de Christo in corde hominis fidelis testatur, hoc ipso fidem in Christum, in illo operatur. *Quid verè ista fides? ελεγχ* est, argumentum, demonstratio & convictio salutis suæ in Christo.

Non possum, quin argumentum hic attexam, quo Anno Christi 1642. Doctor quidam Theologiæ Pontificius, A.S.A. Pastor Th. *salutis fidelium certitudinem*, publicè in suggestu, coràm toto cœtu, præsentibus etiam aliquot Personis Evangelicis, impugnavit: si homini, ait, *certa sua salus esset, & ἀνεπιόδυσ* mox à morte in cælum ingressus, jamjam de hoc suggestu

*suggestu descendere vellem, & gladio aut cultro me confodere, ut terrenâ miserâ exemptus, æternâ cæli gloriâ fruere. O egregium Theologiæ Doctorem! O lepidum, forte, & robustum argumentum, ad confutandam fidelium & regenitorum salutis certitudinem, quibus Spiritus Sanctus, in cordibus ipsorum, de Christo testatur!*

## II. Judæorum, Turcarum & Enthusiatarum, quorum

α. Illi, pro testimonijs Spiritûs S. Rabbiorum, Thalmudistarum, & Cabalistarum suorum nugas obtrudunt, quas, qui amplectuntur & sequuntur, meras fabulas pro Religione amplectuntur.

β. Isti, superstitioni suæ, quam Religionem vocant, magnum testem Mahometem adsciscunt & Alcoranum ejus. Sed ipse Mahomet agyrta fuit versutus, quod suo loco demonstrabimus; & Alcoranus ejus cento ex depravata Scriptura Sacra, & fabulis Judaicis contextus; farrago item & sentina omnis generis ex hæreticorum libris depromptorum errorum.

γ. Hi testimonia enthusiastorum & somniorum suorum, Scriptura Sacra perperam & blasphemè præferunt, quos confutatos vide supra, in Prolegom. pag. 163. seq. & 348.

## Ufus ad Exhortationem.

### I. Testemur de Christo,

α. Singuli. Idque

a. Corde, Rom. 10. v. 9, 10.

b. Ore, Matth. 10. 32. 1. Petr. 3. 15. Peccant graviter, qui ex uno ore calidum & frigidum efflant, & in utrumque latus claudicant, tepidi Laodicenses. Apoc. 3. 16.

c. Vitâ, Phil. 1. 27. Col. 1. 10. Matth. 5. 16.

d. Morte, Joh. 21. 19. Propter exiguam prædam, sanguinem fundit miles. Cur nos propter cæli πλιτθυνα eundem non funderemus? Apoc. 12. 11.

β. Cum primis Ministri evangelij, & dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. qui omnes μάρτυρες sunt ωνευχαριστονημένοι testes præordinati. Act. 10. 41. hoc est peculiari-

liariter ad hoc munus vocati, & inspectores in Ecclesia constituti, Act. 20. v. 28. ut Spiritus Sancti donis instructi, constanter & fideliter de Christo testentur, hoc est, evangelium ipsius doceant, pro ut Spiritus veritatis, illis dat eloqui. Act. 2. 4.

2. *Rejiciamus & fugiamus doctrinam omnem, qua testimonio Spiritus sancti, in scriptura lato, adversatur, sive à veteribus, sive à neotericis sit conficta hæreticis & seductoribus.*

Quemadmodum enim una fides est, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium. Eph. 4. 5, 6. & unus Mediator 1. Tim. 2. 5. ita unum quoque est & simplex, sibiq; non dissimile Spiritus veritatis, de veritate testimonium. Ne igitur cuivis Spiritui credamus, sed probemus Spiritus, an ex Deo sint, quia multi Pseudoprophete venerunt in mundum. Cognoscamus autem Spiritum Dei ex hoc, quod, quicumq; Spiritus confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. 1. Joh. 4. 1, 2, 3. Confer 2. Joh. v. 8, 9.

3. *Credamus testimonio Spiritus Sancti, quia testimonium est Spiritus veritatis, hoc est, ipsius Dei mentiri nescij. Tit. 1. 2. qui nos per Verbum Veritatis Joh. 17. 17. instruit ad salutem. 2. Tim. 3. 15. vide 1. Joh. 5. 9, 10. Hic testatur nobis de Patris dilectione æterna, de nostri electione & redemptione, de Servatoris Persona, officio, merito & beneficijs.*

Oggannit mysterijs salutis ratio nostra corrupta? ducamus eam, per testimonia Spiritus Sancti convictam, captivam ad obediendum Christo. 2. Cor. 10. 5. ut cum omnibus sanctis assequi discamus, quæ sit illa latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas, ut impleamur ad omnem usque plenitudinem Dei. Eph. 3. 18, 19.

#### Usus ad Consolationem.

1. *Testimonium, quod Spiritus S. partim internè in cordibus nostris, partim externè in scriptura S. de Christo testatur, indubium est & verax. Si verax; neque Diabolus, neque mundus, neque inferorum portæ, in quibus mendaciorum & errorum abyfusus latet, illud subvertent.*

*Internum hoc, & externum Spiritus S. testimonium, omnibus mendacis Spiritus Acherontici tentationibus opponamus, per quas fidem nostram tentat, nempe:*

a. Nihil nobis spei atq; solatiÿ in Christo esse repositum, cum meritum ejus nihil nos attineat.

R. Regeramus: Mentiri tu Spiritus mendax; Spiritus qui veritas est, testatur cordibus nostris, fidam esse hunc sermonem & omnibus modis dignum, quem amplectamur, Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret. 1. Tim. 1. 15, 16. Joh. 3. 16. ut non periret, quisquis in Christum credit. Atqui nos per Spiritum fidei nobis datum, credimus, & confidimus, non ullam rem separare nos posse à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu domino nostro. Rom. 8. 39. Joh. 10. v. 28.

b. Iterum aggreditur electos de salute sua sollicitos, infernalis tentator, & persuadere conatur, de Gratia Dei, & salute aeterna ipsis esse dubitandum.

R. Dicamus confidenter: Mentiri nequam, qui in veritate non perstitisti. Spiritus Sanctus, qui spiritus est veritatis, testatur unà cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei. Rom. 8. 16, 17. Nulla igitur amplius condemnatio est in nobis, qui sumus in Christo Jesu. Rom. 8. 1. Novimus, cui crediderimus, & persuasum est nobis, eum posse depositum nostrum in diem illum custodire. 2. Tim. 1. 12.

c. Opponit: Meritis proprijs salutem esse promerendam.

R. Respondemus. Ex gratia sumus servati per fidem, & hoc non ex nobis, sed Dei donum est. Eph. 2. 8. Confer Rom. 11. 6. Act. 10. 43. Rom. 3. 28.

d. Iterat: Religionem Reformatam falsam esse & hæreticam.

R. Reponamus: Imò verò Religionem illam, incertam esse, falsam & hæreticam, quæ mendacia ponit spem suam, quæ multas in Ecclesiam novitates invehit, & cum Ethnicorum idololatria, cum Judaorum superstitionibus, & cum Veterum Hæreticorum erroribus communicat. Reformatam è contrà, veram esse & solide fundatam, quia scripturæ sacre Θεωπνεύτω soli innititur.

tur. Vide *Prolegom. nostra pag. 139, 140.* Proinde in hac nos stare, vivere & mori velle, ut salutem consequamur æternam, quæ ex veritate est, non errore.

II. *Deus per internam, veri cœlestis & divini Testis, Spiritus Sancti operationem in cordibus humanis, ex hostibus suis, sibi factè facit testes, Saulis & comitum, Damascum proficiscendum exemplo. Volebant illi Christianos vincetos abducere Hierosolymam, sed Saulus, qui postea Paulus, convertitur in via, & Comites de rebus cum ipso gestis, testimonium perhibere coguntur. Actor. 9. 1. seqq.*

Sic *Centurio*, qui Christum crucifixum custodiebat, viso terræ motu, & ijs, quæ facta fuerant, timens dixit: *Verè Filius Dei erat iste*, Matth. 27. 44.

In *lanienis Gallicis*, multi evangelici, ab ipsis persecutoribus, à crudeli morte servati fuerunt, hinc inde ab ipsis adversarijs, Personis etiam Ecclesiasticis, sacerdotibus & Canonici, absconditi. Cujus rei causa, *admiranda fuit Dei sapientia, potentia, & provida pro suis cura*; eum fortè, præter ceteros, in finem, ut illi, quos ex mundo selegit Dominus, Christum & evangelium ejus, facilius aliquando reciperent, & ad salutem æternam conservarentur.

Hic Deus adhuc vivit: *nec dum abbreviata est manus ejus*, aut amor erga fideles sublati. Sathanæ forsitan, & mendaciorum heri testis fuit, qui abjurato errore, Domini hodie, & veritatis cœlestis. *Nam, sicut rivi aquarum, ita animi hominum in manu sunt Jehova, quocumq; vult, inclinat eos.* Prov. 21. 1.

Sed manum de tabula.

*Epilogus. De Pandora pixide Poëtæ olim fabulabantur, quòd omnia malorum genera, in mundum inde evolarint.*

Nos Christiani, *de Spiritus S. erga fideles officio, veriùs pronuntiamus, quòd omnis generis medelæ, adversus quæcunque mala, ubertim ex eo in Ecclesiam promanent. Nullibi enim hic Spiritus deficit.*

*Non deest Peccatoribus, quos convertit: non infirmis, quos sustentat: non pauperibus, quos ditat: non tentatis, quos erigit: non afflictis, quos consolatur: non oppressis, quibus opitulatur;*

latur; non ignorantibus, quibus de æterna vetitate satis testatur; non morientibus, quibus Dux est in vitam æternam.

Jehova Spiritus S. clypeus est circa nos, & gloria nostra, que extollit caput nostrum. Psal. 3. 4. Doctor in ignorantia nostra, & ductor per vallem lethalis umbræ in domum Jehovæ, Psalm. 23. 4, 6. in qua latantes & exultantes, fugemus, & saturabimur ubere consolationum ejus, ut delicias agamus è splendore gloriae ejus, Esaj. 66. 10, 11.

Deo Patri, Filio & Spiritui S. sit laus, honor &  
gloria in secula,  
Amen.





## LIBRI I. CAPITIS II.

§.5.

*De officio Spiritus Sancti,*

## CONCIO II.

*De officio Spiritus Sancti erga impios  
in mundo.*

Johann. c. 16. v. 8-11.

Quum venerit Paracletus ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio: De peccato quidem, quòd non credunt in me: De justitia verò, eo, quòd ad Patrem abeam, & amplius non conspicietis me: De judicio autem, eo quòd Princeps hujus mundi condemnatus sit.



Saj. 40. v. 1, 2. Prophetis & Sacerdotibus Ecclesie veteris Testamenti edicit Dominus: *Consolamini, consolamini populum meum: dicit Deus vester. Loquimini, quae sunt cordi urbi Hierosolymorum, & predicare ei, completum esse tempus praesentium ejus, exsolutam esse iniquitatem ejus: eam accepisse à manu Jehova duplum pro omnibus peccatis suis.*

Dominus his verbis Populum suum Judaicum, in captivitate Babylonica, à Regibus Babyloniae detentum, per Prophetam alloquitur, & duplum illi beneficium, pro omnibus peccatis suis, promittit.

I. *Exsolutionem iniquitatis ipsius, hoc est, gratuitam peccatorum remissionem.*

II. *Ex captivitate Babylonica liberationem.*

*Nobis, Evangelij Domini nostri Jesu Christi Ministris, edicit Dominus idem: Consolamini, consolamini Populum meum: predicare ei, exolutam esse iniquitatem ejus, & accepisse, e manu Jehova duplum pro omnibus peccatis suis.*

Duplex duplum populo suo Novi Testamenti promittit Dominus.

Primum, est *Evangelium & Sacramenta.*

- N. Evangelium Peccatoribus resipiscentibus, Dei Gratiam & Christi meritum annuntiat, per quod, loco iræ, Gratia: loco peccati, justitia: loco mortis, vita: loco infernalium cruciatuum, cœli gloria offertur & confertur.
2. Sacramenta verò, omnia in evangelio nobis promissa bona confirmant, quia visibilia sunt, invisibilis Dei gratiæ signa.

Alterum duplum, *Christus servator est, & Spiritus Sanctus.* Beneficium duplum, quod ab invicem separari non potest: ad salutem *uirumq;* necessarium.

a. *Christus, servator est solus, unicus, verus atq; perfectus.*  
Act.4.12. 1.Tim.2.5.

b. *Spiritus Sanctus, pignus est hereditatis nostræ,* Eph.1.v.14. quo obsignati sumus in diem redemptionis. Eph.4.30.

a. *Filium Pater promisit Semen mulieris,* Gen.3.v.15. Abrahæ, Isaac, Jacobi, in quo omnes Gentes terræ, sint benedicendæ Gen.22.v.18. c.26.4. & c.28.14. Lucem Gentium, atque salutem usque ad extremitatem terræ. Esa.49.v.6. Promissumque in plenitudine temporis præstitit. Gal.4.4. 1.Tim.3.16.

b. *Spiritum Sanctum & Pater promisit.* Esaj.44.3. & Filius, Zach.12.10. Joh.15.26,27. Eumque post Christi in cœlos ascensionem, in larga mensura, super Apostolos, & alios N. T. fideles effudit. Act.4.1. seqq. c.10.44. & c. ut officio suo *erga electos & fideles* fungeretur Joh.15.26,27. pariterque *erga impios* in Mundo. Joh.16.8-11.

*Illis datus est Paracletus, hoc est, Advocatus & Consolator: Spiritus veritatis, & testis.*

*His equidem non datur, nisi in donis communibus, quia Spiritum verita-*

veritatis mundus non potest recipere. Joh. c. 14. v. 17.  
Attamen erga hos, *Impios nempe in mundo*, officium suum  
quoque administrat: quod

### Officium Spiritûs S. elenchticum

vocatur; eo fine ab illo administratum, ut quotquot  
ex impijs Mundi filijs, ab æterno à Deo sunt electi, ma-  
turè converterentur: reliquis autem ἀμετανοήτοις,  
omnis excusationis prætextus, in die iudicij, præcide-  
retur. Hinc Christus in prælectis ait v. 8-11. *Quum vene-  
rit Paracletus ille, arguet mundum de peccato, &c.*

Quia igitur officio Spiritûs Sancti elenchitico, propter extremam  
præsentis seculi malitiam, valdè opus est, de isthoc, ex prælecto  
contextu, divino suffulti robore, verba faciemus.

### I. In genere. II. In specie.

I. In genere. De officio Spiritûs Sancti elenchitico in genere,  
Christus agit v. 8. *Quum venerit Paracletus ille*, Consolator nem-  
pe fidelium, etiam *arguet mundum de peccato.*

a. Per *Mundum*, intelliguntur *indefinitè omnes homines in mun-  
do*, quibus prædicatur evangelium, sive convertantur ad  
Christum, sive non. Et quidem

1. *Judai*, qui in V. T. Populus Dei fuerunt, Deut. 7. 6.  
Hi occiderunt *Dominum gloriae*. 1. Cor. 2. 8. quod  
Petrus ipsis Act. 2. 22. seq. acerbè exprobrat.

Quia tamen Dei *federati* erant Gen. 17. 10. 11. *illis  
verbum evangelij primùm annuntiari oportebat.*  
Act. 13. 46. Deus enim populum suum teme-  
rè non repudiavit, sed post repulsum de-  
mùm ab ipsis Christum & evangelium ejus.

2. *Gentiles*, idololatriæ penitè immersi, qui Deos  
*ignotos* colebant Act. 17. 23. & quidem *adul-  
teros, incestos, homicidas & varijs sceleribus  
alijs deditos*, quod Arnobius in septem suis  
adversus Gentes scriptis libris, ipsis fre-  
quenter exprobrat. *Ad hos Christus Apostolos  
suos emisit*, ut per horum ministerium, illo-  
rum argueret idololatriam, eamque de-  
strueret.

3. *Omnes*

3. *Omnes reliqui homines*, quibus Evangelium ad finem usque mundi prædictur, qui omnes, *sub mundi nomine*, comprehenduntur, quia in hoc & nascuntur, & vivunt.

**b.** *Spiritus sanctus venturus dicitur, ut mundum arguat.*

Utitur voce ἐλέγχειν, quæ significat, non nudè tantùm accusare, sed negantem etiam perspicuis argumentis convincere, ut delictum & errorem tandem confiteri debeat. Atque ita Spiritus sanctus homines arguit

1. *Per legem*, de corruptione naturæ humanæ post lapsum, de proclivitate ad peccatum, & de lapsibus atque peccatis quotidianis.
2. *Ministerio Evangelij ducit ad Christum*, qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis, *puta, in eum credentibus*, 1. Tim. 2.6. confer Joh. 3. 16. *non pro illis, qui filium Dei conculcant*, sanguinem federis profanum ducunt, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt, Heb. 10. 29. quia hi acerbo supplicio digni censentur.

**Δ.** *Finis*, effusi in nos, per Christum, à Patre Spiritûs sancti, præter alios, *de quibus supra jam egimus*, etiam hic est, ut officium quoque elenchticum apud nos, & inter nos, administret. Officium nempe *elenchticum in genere*, quo nos, naturâ peccatores improbos, convincat de corruptione & miserâ totius naturæ humanæ, peccati reatu, culpa, abominatione, & pœna premerita temporali atque æterna.

*Hoc enim firmiter tenendum est:*

**Agnitionem peccati I.** *Primum ad salutem gradum esse.* Et

**II.** *Officij elenchtici Spiritûs sancti scopum*, ut homines qui hætenus in peccatis toti hærent, vel per illorum agnitionem ex hoc luto extrahantur, & ad Deum convertantur: vel ἀναπολογητοὶ reddantur.

**A.** *Agnitio peccatorum primus est ad salutem gradus.* Hinc Dominus

D d d d d

Jerem.

Jerem. 3. 12. *severè præcipit: Tantummodò agnosce iniquitatem tuam, te à Jehova, Deo tuo desecisse.*

Pulchrè Cyprianus epist. 55. ad Cornel. §. 14. *Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus delicta cognoscere: Illic currit innocentia integra, & illibata, quæ servet: heic succedit medela, quæ sanet.*

*Nemo Medicum quarit, qui agrum se non sentit, minùs agnoscit: Et idèò difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos agrotare nescimus. Seneca.*

*Res illius, qui peccatum non agnoscit, qui cum Gehasi, Juda, & Anania negat, qui cum Protoplastis palliat & excusat, qui cum Pharisæis se justificat, in vado non est.*

*Felicior est David, peccatum suum agnoscens 2. Sam. 12. 7. 13. Felicior Petrus horrendam suam Christi abnegationem amarè deflens, Matth. 26. 75. Felicior Paulus, peccatorum se primum confitens 1. Tim. 1. 15. felicior peccatorum maximum, qui peccata sua verè agnoscit, agnita humiliter confitetur, confessa fiducialiter deprecatur, & vitam cum perpetuo examine sui ipsius 2. Cor. 13. 5. impostèrum, divino suffultus præsidio, emendat, quàm qui peccato suo, contra ipsum testante, vultum suum obfirmat, Elai. 3. 9.*

**B.** *Officij elenchici Spiritùs sancti Scopus, eximius est, necessarium, & morem gerentibus apprime salutaris. Nam*

**1.** *Arguit mundum de peccatis suis mediante concione Legis & Evangelij, sonante in ministerio Verbi, Galat. 3. 22. Conclufit Scriptura omnia sub peccatum: hoc est, Deus in Scriptura per legem omnem hominem, & quicquid ab homine proficiscitur, convincit de peccato. Peccatum enim non cognovimus, nisi per legem, Rom. 7. 7. & cap. 3. 20.*

**2.** *Convictos de peccatis suis ducit ad Christum, ut resipiscentes baptizentur, in nomine Jesu Christi remissionem peccatorum accipiant, & donum Spiritùs sancti, Act. 2. 38. Sicque ut per Christum absolvantur credentes ab omnibus, à quibus per legem Mosis absolvi non poterant, Act. 13. 39.*

**3.** *Qui verò de peccatis suis convicti, misericordiam Dei implorare, & emendari, ut salvarentur, nolunt, illos*

*elen-*

elenchus ille Spiritus sancti *facit in iudicio divino inexcusabiles*, Rom. 1. 7. 20. *Sicut enim viator ad locum destinatum non pervenit, qui devius, ut in rectam viam redeat, admonitus, in errore pergit; ita cœlum & salutem æternam nunquam assequitur, qui à via inferni, meliora edoctus, in viam cœli non revertitur.*

*Convincit igitur per elenchum suum, Spiritus sanctus hominem*

**I.** *De peccati sui, in quo conceptus & natus est, Pf. 51. 7. & hætenus vixit, Rom. 3. 23. Jac. 3. 2. turpitudine.*

*Cognoscitur autem peccati in genere, turpitudine,*

**a.** *Ex ipsa ejus natura, quæ privatio est rectitudinis secundum legem Dei debite inesse aëtui humano. Quemadmodum enim cœcitas, curvitas, gibbus & consimiles corporis nævi, hominem foedè deturpant, ita peccatum, aëtionem humanas.*

**b.** *Ex gravissima Dei Optimi Maximi. Benefactoris offensa & contemptu.*

**a.** *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ut ipse ad prototypon suum se conformaret, & Deum, velut filius Patrem suum, redamaret.*

**b.** *Lapsus per Spiritum suum sanctum regignit, cujus regenerationis Sacramentum, Baptismus est; ut ita bis genitus, fortiùs amaret Patrem suum, ei que promptiùs obediret, Deut. 32. 6. Sed, quid agit peccator?*

*Abominabile scelus, Absolon filius, Patri rebellis, commisit; quod creaturæ vitæ & sensu destitutæ, sunt ultræ. Mulus subter quercum, illum raptuit: Quercus suis ramis, velut manibus, corripuit & tenuit, donec tribus confoderetur lanceis: Hebræi cumulum lapidum super ejus cadaver congefserunt: Et Turcæ hodieque ibi transeuntes, lapides ed projiciunt & dicunt: *Maledictus sit parricida Absolon; & quicumque parentes suos injustè persequuntur, maledicti sint in æternum.* Hinc, etsi pessimâ maledictione, Simeï, Regi suo Davidi maledixerit, quando illum,*

virum sanguinum & Bestial vocavit, hanc tamen injuriam, cum injuria à filio accepta collatam, parvi aestimavit, 2 Sam. 16. §. 11. Ecce filius meus, qui prodijt è visceribus meis, quærit vitam meam: quanto igitur magis nunc Benjaminita iste? Cogitet igitur homo peccator, & reputet, quid agat, qui Deum benignissimum, qui ipsum creavit, redemit, regnuit; deserit & Creatoris sui fœdè obliviscitur.

7. *Creaturas, quæ sub cælo sunt omnes, hominis causâ Deus fecit, ejusque imperio subjecit, ut illæ homini servirent, homo autem Deo suo.* Sed quid agit peccator? Creatore & Domino suo contempto, creaturis servit, & totum amorem Domino suo debitum, mancipijs suis impendit. Ita Gentiles idola, opera manuum suarum adorant, exercitum item cæli, bestias & Dæmones. Ita Judæi vitulum pro Deo coluerunt Exod. 32. 4. Sic sunt, qui in auro spem suam ponunt, Job. 31. 24. Et, qui ventri serviunt, Phil. 3. §. 19. *Quid verò hoc peccato turpius? Nonne Spiritus sanctus mundum de hoc argueret, ut electi ex eo, converterentur, cæteri ἀναπολογητοὶ, suâ culpâ perirent?*

**II. Spiritus S. in elencho peccati, peccatum summo habendum esse odio, docet, quia hominem separat à Deo, Esa. 59. 2. quia eundem conjungit cum Diabolo, Joh. 8. §. 44. quia temporale & æternum attrahit exitium, Deut. 27. §. 26.**

Hæc omnia & hujusmodi plura, Spiritus sanctus mundum de peccato arguens, ex Scriptura sacra, mediante Verbi ministerio, docet. Esa. 58. 1. Mich. 3. §. 8. 9. seqq. 2. Timoth. 4. §. 2.

**Ufus ad Informationem.**

*Quo in censu publicum Ecclesia ministerium sit habendum?*

Ministerium est Spiritus, 2. Cor. 3. 6, 8. per quod Spiritus sanctus

stus infideles, incredulos, sceleratos & atheos reprehendit, convincit, corrigit. Spiritus enim sanctus est, qui idoneos nos facit Novi Testamenti, non literæ, sed Spiritus ministris. *Hic indit verba sua ori nostro, Jer. 1.9. Hic aperit os nostrum, Eph. 3.27. ut per illum acti loquamur, 2. Petr. 1.21. Hic verbum prædicatum reddit efficace, ut non vacuum revertatur ad ipsum, Esai. 55. 11. Hebr. 4. 12. Vide supra in Proleg. p. 452. seqq.*

Per hoc verbum, & verbi Ministerium, arguit Spiritus sanctus mundum antediluvianum, 2. Petr. 2. 5. Gen. 6. tot. Sodomitas & Gomorrhæos, Gen. 19. & 2. Petr. 2. 7. Pharaonem, Exod. 7. & seqq. Populum Judaicum, 2. Chron. 36. 15. Nebucadnezarem, Dan. 4. 24. Balthassarem, Dan. 5. 25. Scribas & Phariseos, Matth. 3. & 23. capp. Judæos & Gentes, passim in Actis, & in historia Ecclesiastica.

Per hoc verbum, & verbi Ministerium, Spiritus sanctus mundum adhuc arguit. Prædicamus sermonem, instamus tempestivè & intempestivè, arguimus, objurgamus & exhortamur cum omni lenitate & doctrina, 2. Tim. 4. 2. evertimus omnem sublimitatem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei, 2. Cor. 10. 5. & oramus quosvis Christi nomine, ut patiantur se reconciliari cum Deo, 2. Cor. 5. 20.

### Usus ad Exhortationem.

I. *Pro Ministris Ecclesiæ*; ut juxta præceptum Domini Esai. 58. 1. 1. Timot. 5. 20. Correctiones & correptiones Ecclesiasticas in concionibus suis, negligenter aut frigidè non tractent, multo minus planè intermittant, aut peccantibus pulvillos pro axillis eorum consuunt, Ezech. 13. 18. Sed meminerint; Sicut Spiritus sancti officium non tantùm est consolari, sed etiam arguere, ita pariter Verbi ministrorum esse, & consternatos erigere atq; consolari, & peccantes arguere atq; reprehendere, ut pœnam, hoc officium intermittentibus comminatum evitent, & promissiones, facientibus factas, consequantur, Ezech. 33. v. 8, 9. exemplis etiam fidelium Dei ministrorum, singulis mundi ætatibus, excitati.

Quomodo verò ἀποδείξει πρὸς τὰς ἁμαρτίας, Ministri fideles peccantium ulcera, digito epanorthotico tangere, & faniem purulentam exprimere debeant, vide supra in Prolegom. pag. 553--556.

## II. Pro Auditoribus.

1. Ne agrè ferant, vel negligent, si peccata ipsorum, pro concionibus publicè redarguantur, sed Spiritus sancti officium esse meminerint, mediante Verbi, in Ecclesia ministerio, mundum de peccato, in commune Auditorum bonum arguere, ut ex accusatione & comminatione, peccati sui gravitatem intelligant, de illo admissio doleant: & ex Evangelij promissionibus, de gratia Dei commonefacti, remissionem peccati per Christum petant.

Videmus quidem & audimus, vix quicquam indignius ferri, quàm correctiones, maximè publicas. Sunt enim, qui ad illas in rabiem quasi convertuntur Act. 7. 54. Confer Esai. 3. 10. c. 28 13. Jer. 20. 8. Ezech. 33. 32.

Ast, quotquot peccata sua redargui nolunt, non tam in homines ministros, quàm in ipsum Deum sunt injuri, 1. Thess. 4. 8. Luc. 10. 16. Confer 1. Sam. 8. 7.

2. Agnoscant, qui peccarunt, correpti per ministerium Spiritus, sua delicta, ea que confiteantur, deprecantur, & resipiscentes, vitam emendent. Ps. 141. 5. Impellat ad hoc faciendum:

a. Cura placendi Deo in omnibus, Luc. 1. 74. 75.

b. Metus peccandi, Gen. 39. 9.

c. Quia ex neglectu correctionis & resipiscentia, generatur

a. Impœnitentia in gravissimis peccatis, Esai. 44. 18.

b. Stupor quidam, quo etiam illi, qui in rerum aliarum notitia cæteroquin excellunt, semetipfos tamen, & facta sua ignorantes, temerè peccant.

Usus ad Consolationem. Singulare testimonium est Gratia divini, Nationi & Genti collata, in qua Spiritus sanctus per verbi ministerium, officio suo elenchrico gnaviter fungitur. De hoc beneficio pulchrè Zephanias cap. 3. 5. Jehova justus in medio ejus est: non facit iniquitatem, unoquoque, mane jus suum edit in lucem, non deest. Signum verò iræ Dei est, quando insignia nostra non videmus, quando non amplius est Prophetia, neque, apud nos, qui sciat ut quò, Psal. 74. 9.

II. In Specie. De officio Spiritus sancti elenchtico in Specie  
 Christus agit ꝑ. 8, 9, 10, 11. *Arguet mundum de peccato, de justitia &  
 de judicio. De peccato quidem eo, quod non credunt in me. De justitia  
 verò, quod ad Patrem abeam, &c.*

Heic observandum venit

1. *Quomodo Spiritus sanctus mundum arguat de peccato, quod non credit in Christum?*
2. *Quomodo eundem arguat de justitia?*
3. *Et quomodo de judicio?*

### I. Spiritus sanctus arguit mundum de peccato ἀπιστίας.

Spiritus sanctus judicium suum, à demonstratione peccati, incipit; quia homines in peccato geniti, nihil aliud in se habeant, quam materiam peccati, ex quo legem Dei & naturæ, sine intermissione transgrediuntur.

*Arguit autem mundum cum primis de peccato ἀπιστίας, quod non credit in Jesum Christum, unicum nostrum, υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ ἐκ τῆς σαρκὸς γεννητὸν.*

Vinculum, quo Christo unimur, sola fides est. Dum igitur homo in Christum non credit, extra eum est, & ab eo divisus. Sed quam primùm Spiritus sanctus illi donatur, jam ostendit, & convincit illum, extra Christum, in mundo regnare peccatum, & quidem cum primis peccatum incredulitatis, matrem reliquorum peccatorum omnium, quæ à Christo separat, & nihil præter peccatum & poenam relinquit: In Christo verò fide salvifica donari, Joh. 6. 29. à peccato liberatum Deo mancipari, fructum suum in sanctimonia habere, & finem, vitam æternam, Rom. 6. 22.

A. Christus Jesus verus est Messias. *Quisquis in hunc non credit, peccati incredulitatis reus est.* Incredulitas autem peccatum est detestabile de quo Spiritus sanctus mundum arguit, ut isthoc aut liberetur, aut culpâ suâ pereat.

A. *Christum verum esse generis humani Messiam, suo loco, lib. 1. cap. 19. quò & docebatur & probabitur.*

B. *Quisquis in Christum non credit, peccati incredulitatis reus est.*  
 Tales sunt,

- a. *Blasphemi Judai*, qui Dominum gloriæ crucifixerunt, Act. 2. 22. & nec dum illum super se regnare volunt, Luc. 19. 14.
- b. *Idololatra Gentiles*, quos scandalum ex hoc accipere Chrysoftomus ait, quod Christiani in Deum credant crucifixum.
- c. *Illi ex Christianis*, qui inexcusabili peccato, alios lateri Christi adjungunt mediatores: de quibus rectè Catechismus Heidelb. quæst. 30. Illos non credere in unicum Servatorem Jesum, qui à sanctis, aut à se, aut aliunde felicitatem & salutem querunt: etsi enim verbo eum Servatorem gloriantur, reipsâ tamen eundem abnegare. Necessè enim esse, aut Jesum non esse perfectum Servatorem: aut qui eum Servatorem verâ fide amplectuntur, omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur.

### C. Incredulitas peccatum est detestabile.

- α. *Differt infidelitas & incredulitas*. Illa habitum denotat, hæc actum. Utraque peccatum grave est, quod à salute excludit.
- β. *Fides ad salutem est necessaria*, quia sine hac impossibile est Deo placere, Hebr. 11. 6. Ille plus loci apud Deum habet, qui plus attulit non auri & argenti, sed fidei. Augustin.

Hujus objectum Christus est, Joh. 3. 16. Rom. 3. 25. cap. 4. 5. Quisquis in Christum credit, hujus cor fide purificatur, Act. 15. 9. adoptatur, Joh. 1. 12. salvatur, Joh. 6. 40.

- γ. *Quemadmodum verò fides ad salutem est necessaria*, ita vicissim *incredulitas & infidelitas*, gratiâ Dei, merito Christi, ipsoque cælo & vitâ aternâ excludit, quia Christum non agnoscit, sed rejicit, contemnit, & Spiritûs sancti operationi resistit, mater omnium peccatorum. Hinc August. Tract. 95. in Joh. Hoc peccato manente, cætera derinentur, & hoc discendente, cætera remittuntur.
- δ. *Ex his concluditur*. *Incredulitatis peccatum, malum esse, & detestabile*. Nam

- a. Apertè, *peccatum*, in prælecto textu appellatur. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credit in Christum.*
- b. Apostolus Paulus 1. Tim. 5. 8. per *hominem infidelem*, hominem denotat *insigniter malum.*
- c. Ad textum nostrum, B. Pater Augustinus de Verb. Dom. ferm. 61. pulchrè commentatur: *Si autem manifestum est, præter hanc infidelitatem, alia multa esse hominum peccata, cur de hoc solo Spiritus sanctus mundum arguat? an quia peccata omnia per infidelitatem tenentur, per fidem dimittuntur? Propterea hoc unum præ cæteris imputat Deus, per quod fit, ut cætera non solvantur, dum non credit in humilem Deum homo superbus.*
- d. Homo *καὶ* sive *infidelis*, sive *incredulus Dei veracitatem, promissiones & comminationes in dubium vocat*, atque ita Deum, quantum in ipso est, mendacem facit, 1. Joh. 5. 10. quia rejicit verba ejus, Joh. 12. 48. Confer Num. 20. 7. 12. adeoque *magnam Deo infert injuriam atque contumeliam*, sicut è contra, fide fiduciali honoratur & colitur. Rectè Cyprian. ferm. de Mortal. *Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ perfidus fluctuas?*
- e. Infidelitas causa est multorum peccatorum aliorum: Defectionis à Deo vivo, Hebr. 3. 7. 12. persecutionis fratrum, Act. 14. 2. Apostasiæ illius universalis, & seductionis ex efficacia Sathane ad omnem fraudem & injustitiam, 2. Thess. 2. 7. 3. 9, 12.
- f. *Infidelitas & incredulitas*, velut peccatum gravissimum, gravissimè & severissimè, à Deo justissimo peccatorum vindice, punitur.

Grave peccatum fuit crucifigere filium Dei, Act. 2. 7. 22, 23. Sed gravius est, eum pro peccatis nostris crucifixum, & ad justitiam nostram resuscitatum, per incredulitatem rejicere. Ut

Eeeee

rugi-

rugitus leonis juvenis, est indignatio Regi,  
Proverb. 19. §. 12. Sed indignatio & ira Dei,  
ignis est consumens, Deut. 4. 24. Magnam pœ-  
nam dabunt increduli.

**R.** In hac vita.

Moses & Aaron, Num. 20. 12. Zacharias, Pater Johan-  
nis Baptistæ Luc. 1. 18, 20. *in fide fluctuantes, severe à  
Deo sunt castigati.* Hic, quòd loqui non amplius po-  
tuit, donec filius ipsi natus, circumcisus fuit. Illi,  
quòd populum Domini in terram promissam non  
potuerunt introducere. Quo ipso, *quid incredulita-  
tis peccatum mereatur, declarare voluit.*

Cain, Saul, Judas, & alij, Verbis Domini increduli, de  
Gratia Dei & salute desperârunt.

Aborigines, Sodomæi, Pharao, Antiochus, Judæi, fide Deo ha-  
bendâ destituti, in peccatis perierunt, & pereunt ad-  
huc omnes finaliter increduli.

**A.** In altera vita. Nam in requiem æternam introire non pos-  
sunt *ἀπίστοι*, Hebr. 3. 19. *quia infidelium pars assignata est in  
stagnis ardente, igne & sulphure, quod est mors secunda,* Apo-  
cal. 21. 8. exemplo epulonis, qui Mosi & Prophetis, dum  
in terra vixit, credere nolens, jam in flamma cruciatur  
æterna Luc. 16. §. 24. Sortemque cum ipso parem subi-  
bunt, quotquot in Christum non crediderunt, Deum  
& proximum non dilexerunt, servos Dei rejecerunt,  
Angelos contristârunt, Deum irritârunt, Spiritus san-  
cti operationibus resistenterunt, & Diabolo, mundo &  
carni suæ inservierunt, quorum peccatorum omnium,  
sola *incredulitas*, principium, fons & origo est.

**D.** De peccato infidelitatis, quâ Deus, Christus & verbum Dei  
planè ignorantur: Et

*Incredulitatis*, quâ agnito Deo, Christo & Verbo  
Dei ad nutum Dei, non vivitur, atque evi-  
gilante & accusante conscientia, solatium  
non sentitur:

*Spiritus sanctus mundum arguit, ut isthoc peccato aut libere-  
tur per apprehensum fide Christum, aut inexcusabilis, sua  
culpâ pereat. Docet enim Spir. S. ex Scriptura V. & N. T.*

a. *Liberari ab infidelitate, quisquis in Christum agnitum credit: & simul ab ira Dei atq; damnatione, quia iustitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes est, qui credunt, Rom.3. v.22. Confer Esai.28. 16. Rom.9. 33.*

β. *Quisquis non credit filio Dei, non visurum vitam, sed iram Dei mansuram super eum, Joh.3.36. Confer Marc.16.16. Joh.8.24. &c.*

Ira arguit Spiritus sanctus *Judeos* Act.2. 22. seqq. qui ab incredulitate liberati, Christum Messiam verâ fide sunt amplexi & servati, Act.2. v.38. seqq.

Ira arguit *Gentiles*, quondam absque Christo, alienos à Republica Israël, extraneos à pactis promissionis, qui nunc in Christo Jesu, per sanguinem ejus propinqui facti sunt, Ephes. c.2. v.12,13.

*Quotquot igitur à Spiritu sancto se argui patiuntur, ut infidelitati suæ nuntium mittentes, in Christum credant, servantur: Quotquot verò de sua incredulitate se argui non patiuntur, ut eam deponant, illis non est pars, neq; sors in sermone vitæ, cor eorum ipsorum non est rectum in conspectu Dei, Act.8. v.23.*

### Usus ad Informationem.

I. *Nallum peccatum, etiam minimum, parvi faciendum est. Nam Spiritus sanctus mundum de peccato arguit. Et quidnî argueret?*

a. *Avocia est, 1. Joh.3. v.4.*

b. *Omnium vilissimum, inter Deum & nos dividit, Esai.59.2. confer Psal.5.7.*

c. *Oritur ex Diabolo, Joh.8.44. 1. Joh.3.8,10.*

d. *Onus est grave Psal.38.5. quo homo pressus, oculos semper in terram deprimit, nunquam in cælum erigit. Peccatum gravius est Damone, quia regno cælorum ejicit. Chrysoft. hom.41. in Act.*

II. *Cum primis peccatum incredulitatis, præ omnibus alijs, grave est. Non tantum propter rationes supra, Lit C. jam allatas, sed propter causas etiam hujus peccati procreantes, quæ sunt,*

- a. *Sathan*, hostis Dei & hominum juratus. Hic tollit sermonem è corde hominum, ne, *quum crediderint*, ferventur, Luc. 8. 12. Et *excacat mentes infidelibus*, ne irradiet illos lumen Evangelij gloriæ Christi, 2. Corinth. 4. 4.
- b. *Congenita & corrupta hominis natura*, quæ nisi videat, & palpet, *credere recusat* Joh. 4. 48. & cap. 20. 25. Solemus enim *sensibus*, ferè omnia nostra metiri, Luc. 24. 11. & si quid non capimus, cum Capernaitis interrogare: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare*, quâ vescamur? Joh. 6. 52.
- γ. *Ad peccata propensio*, quibus, quouſque animus est il- ligatus, ad Christum fide amplectendum, se expedire & evolare non potest, exemplo *Simonis Magi*, qui, quia animus ejus in nexu injustitiæ positus erat, respicere de malitia sua non potuit, Act. 8. 22, 23. confer Joh. 5. 44.
- δ. *Inopia & defectus Verbi Dei, & fidelium Ministrorum*. Sic Eunuchus Reginæ Candacis, quæ legerat, intelligere & credere non potuit, donec Philippus illi ea explicavit, Act. 8. 31, 37.
- ε. *Cura hujus seculi*, divitiæ & voluptates, semen Verbi in multorum animis suffocant, ut *fructum fidei & pietatis* proferre non possint, Luc. 8. 14.
- ς. *Accedit ignorantia*, quæ vel *affectata* est, vel ex *incuria* oritur, & negligentia, & ex hac *æmigratio habitualis & actualis* in Judæis, Gentilibus, Hæreticis, Pontificijs, & quandoque ad tempus, in pijs etiam & fidelibus, qui varijs & gravibus tentationibus exercentur.
- ζ. *Tandem æmigratio causa*, quandoque etiam est *santissima Dei justitia*, per quam homines extremè mali, & post multas ac varias admonitiones, respicere nescij, in reprobam & infidelem mentem traduntur, in qua ita indurescunt, *ut non amplius possint credere*, juxta illud Joh. 12. 39. 40. Esai. 6. 9, 10.

III. *Quâ ratione & quibus remedijs, gravis hac noxa averti, & æmigratio peccatum curari possit?*

Servator noster ait: *Spiritus sanctus mundum arguet de peccato, quòd non credit in me.*

- a. Ante omnia igitur *Spiritus sancti elenchus & correctio infidelium & incredulorum, probè est observanda. Incredulus, seu, qui non credit, reatum contrahit, Roman. 14. 23. judicatur, Joh. 3. 18. damnatur, Marc. 16. 16. Spiritus sanctus igitur, hoc peccatum incredulitatis arguit, & ante omnia jubet resipiscere, postea Evangelio credere, Marc. 1. 15.*
- b. Alterum incredulitatis remedium, *preces sunt, per quas humiliter & devotè ex Marc. 9. 24. orandum est, Domine succurre incredulitati meae. Hoc ipso remedio Christus, pro discipulis oraturus, Luc. 22. 31, 32. usus est: quum enim Sathan ipsos velut triticum ventilare appetijisset, rogavit, ne fides ipsorum deficeret.*
- c. *Dubitationibus omnibus de veritate verbi Dei, & promissionum ejus veracitate maturè occurrendum, ne illæ radices altiùs in cordibus nostris agentes, difficiliùs postea eradicentur. Fides enim Deo in omnibus habenda est, & non hæsitandum, Matth. 21. 21. adversus Deum & verbum ejus non disceptandum est infidelitate, sed à robustis fide, tribuenda gloria Deo, Rom. 4. 20.*

### Usus ad Correctionem

1. *Omniùm incredulorum, quorum multos passim hodie tellus fert, qui non credunt in Christum h. l. vers. 9. non credunt verbo ejus, Psal. 106. 24. non postulant cum fide, sed disceptant, similes fluctui maris, qui ventis agitur & jactatur Jac. 1. 5. 6. non credunt veritati, sed acquiescunt in injustitia, 2. Thess. 2. 12. quia autem Deo non credunt, quantum in ipsis est, mendacem faciunt ipsum, 1. Joh. 5. 10. similes incredulo illi Tribuno regio, 2. Reg. 7. 2.*

Omnein hanc & confimilem incredulitatem *Spiritus sanctus arguit, ut illam emendet, ut incredulus resipiscat, & Evangelio Jesu Christi credat: Et è contra annuntiet, per infidelitatem suam defractum iri ex olea, Rom. 11. 20. & moriturum in peccatis suis, quicumque in Christum non crediderit, Joh. 8. 24. Confer Rom. 2. 8, 9.*

2. Illorum, qui Spiritui sancto, incredulitatem mundi, per ministerium arguenti, os claudere volunt.

Verba hæc Christi: Spiritus sancti arguet mundum de peccato, quòd non credit in me, non ad primitivam duntaxat, sed ad omnium temporum Ecclesiam pertinent. Quotquot igitur officium hoc Spiritus sancti elenchiticum ex Ecclesia eliminatum & sublatum cupiunt, capistrum Spiritui sancto injicere conantur, & cum Amazia, Ministros Dei abire, & in aliam terram aufugere jubent, Amos. c. 7. 12, 13. quibus ex correctorio Spiritus sancti officio, rectè respondetur: agnosco, Deum inijisse consilium de perdendo te, quandoquidem facis hoc, & non auscultas consilio meo, 2. Chron. 25. §. 16.

### Ufus ad Exhortationem.

- I. Fugiamus omne peccatum, velut venenatum aspidem, Syr. 21. §. 2. nec sinamus illud regnare in mortali nostro corpore, Rom. 6. §. 12. Peccatum simile est Evæ pomo, quod vile primùm apparuit, sed comestum protoplastos paradiso ejecit, totumque genus humanum cælo exclusit.

Simile est peccatum veneno, quòd ex aureo poculo bibitur, vino malvatico mistum. Simile porris & capis, quæ comestæ, lachrymas ex oculis excutiunt.

Rectè Augustin. libr. 50. homil. homil. 42. Si non timetis peccare, dilecti, saltem id timete, ad quod perducit peccatum. Cur Sodoma conflagravit? cur Aborigines in aquis perierunt? cur Chananæi deleti? cur Judæi excisi? propter sola peccata, quorum agmina incredulitas duxit. Quæ turbulentorum presentis seculi motuum causa? sola peccata in cælum clamantia, & justissimi scelerum vindicis penam & vindictam exposcentia.

- II. Cum primis peccatorum omnium fontem & radicem fugiamus, quæ incredulitas est. Videte fratres, ne quando sit in ullo vestrâ cor malum, incredulum, desciscendo à Deo vivo, Hebr. 3. §. 12. Johan. 3. §. 18. Proh Deum immortalem! quàm cor malum & incredulum obesit? Per hoc privamur omnibus bonis, gratiâ, consolatione, virtute, & salute denique æternâ. Sicut enim sola fides nos justificat Rom. 3. §. 28. quatenus nempe sola Christi meritum, justitiam & salutem apprehendit: ita sola incredulitas damnat Johan. 3. §. 18, 36. quatenus nempe sola Christum & meritum ejus rejicit, Spiritus sancti operationi-

rationibus resistit, vocemque Evangelij, & usum Sacramentorum contemnit.

III. Quando nos Spiritus sanctus vel propter incredulitatem nostram, vel propter alia peccata arguit, *caveamus, ne murmuremus, sed correctionem Spiritus sancti patienter feramus, & ad Deum converti, ne tardemus, Syr. 5. 8.*

IV. *Recipiamus Christum, unum & solum veræ & salvificæ fidei nostræ objectum, fide fiduciali & salutari, ut cum eo uniamur, & per amorem ejus, digne vivamus Evangelio ejus, 2. Cor. 5. 14. Phil. 1. 27. Coloss. 2. 6, 7. Quod si hæc aliquando infirmetur, firma illa duo illi substernamus fulcra Dei omnipotentiam & veritatem, certi, posse præstare, quod promisit, Roman. 4. 5. 21.*

Uusus ad Consolationem. Fides in Christum, quam, ejuratâ incredulitate, ex Scriptura sacra, informatore Spiritu sancto, didicimus, *nec præcipitat, nec pudefit, Esai. 28. 16. Roman. 9. 5. 33. quia recumbit in promissiones Dei in Christo Jesu, 2. Corinth. 1. 5. 20. quarum impletio in silentio & spe, patienter est expectanda, Esai. 30. 5. 15. Pulchrè & consolatorie Bernhardus: Tuta firmaq; securitas mihi est in vulneribus Servatoris mei: Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad me salvandum. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur Diabolus: Non cedo. Turbor, non perturbor, quia vulnerum Christi recordor. Hic Dux est fidei nostræ Hebr. 12. vers. 2. Vindex noster, Legislator noster, Rex noster; Jehova, qui servat nos, Esai. 33. 22. in quo confidere tutum 2. Chron. 13. 18. Et Spiritus sanctus, Spiritus est ille fidei 2. Corinth. 4. 5. 13. qui consolatur nostra corda, & stabilit nos in eum, sermone & opere bono, 2. Thess. 2. 17.*

## II. Spiritus Sanctus arguit mundum de justitia.

*5. 10. Spiritus sanctus arguet mundum de justitia, eo quod ad Patrem abeam, & amplius non conspicietis me.*

Tenenda est sermonis Christi series & ordo.

*Mundum dicit arguendum esse de justitia, quam hæctenus peccati sensu*

sensu non tactus, cum fastidio respuit: Jam verò, per agnitionem peccatorum, humiliatus, *esurire, sitire & querere incipit*, idque

a. *Non in viribus, operibus & meritis proprijs, quæ nulla sunt,*  
Jer. 13. 23. 2. Cor. 3. 5.

b. *Sed in solo merito & beneficjs Domini nostri Jesu Christi,*  
quæ nobis,

1. *Suo ad Patrem abitu, hoc est, passione, morte, resurrectione, in cælos ascensione, & ad dextram Patris sessione peperit & acquisivit; justus justitiâ originali, sine peccato conceptus & natus; & justitiâ actuali, quâ legem nostro loco implevit, Rom. 8. 3, 4. Patri ad mortem usque crucis obediens, Phil. 2. 8.*

2. *Et, quamvis corpore suo, ad diem usque restitutionis omnium Actor. 3. 21. absens, corporaliter à nobis ipse Christus conspici nequeant, per ministerium tamen Spiritûs 2. Corinth. 3. 5. 8. justitiâ illam suam in prædicatione Evangelij, & legitimo Sacramentorum usu offert; per fidem quam in nobis operatur, confert, atque per operationem Spiritûs sancti, in cordibus nostris obsignat, 2. Corinth. 1. 5. 22. Eph. 1. 14. & cap. 4. 5. 30.*

I. Δ. Pars OFFICII SPIRITVS SANCTI ELENCHTICI est, Mundum convincere DE FALSA & VERA JUSTITIA.

1. De falsa; ut falsitatem ejus agnoscere, eamque vitare discat.

2. De vera; ut recte cognitam amplectatur.

✕. JUSTITIA FALSA.

Quemadmodum *Mundus* in malo jacens, à Spiritu sancto per officium suum elenchricum, *de peccati feditate non convictus*, quanta sit ejus coràm oculis Dei abominatio, non intelligit: Ita neq<sub>3</sub> propria justitiâ vanitatem; neq<sub>3</sub> justitiâ Christi pretiositatem & valorem agnoscit, qui vanum laborem concipit, ova hæmorrhoi excludit,

dit, & telas aranei, quæ pro panno non sunt, textit. Efai. 59. v. 4-6. hoc est, qui Dei justitiam ignorans, propriam justitiam studet constituere, ne justitiæ Dei subijci cogatur, Roman. 10. v. 3.

Sed Spiritus sanctus à Patre & Filio Ecclesiæ donatus, Mundum arguit de justitia, ed, quodd Christus ad Patrem abijt, & mundus illum non amplius conspiciet: hoc est, docet, justitiam coram Deo valentem, in hominum operibus & meritis non inventi, sed in soliùs Christi.

Per JUSTITIAM, de qua Spiritus sanctus mundum arguit, Non intelligitur Naturalis, Civilis, aut Judicialis justitia, de qua suo loco: quæ per se culpanda non est, omnibus commendata Psalm. 37. v. 37. *Observa integrum & aspice rectum*, Efai. 56. 1. *Observate jus, & exercete justitiam.*

Sed falsa & fiduciaria.

I. Qualem quærun

a. Gentiles in sua *ἰδελοθυνησίᾳ*, quâ gloriam incorruptibilis Dei, mutârunt in efformatam imaginem mortalis hominis, volucrium, quadrupedum, reptilium, Rom. 1. 23.

Sed Spiritus sanctus arguit eos per prædicationem Evangelij, & docet: quum se profiterentur sapientes, stultos esse factos, Rom. 1. 22, &c.

β. Judæi in externa Legis observatione, crebrò vociferantes Luc. 18. v. 21. *Hec omnia observavi à juventute mea.* Sed Spiritus sanctus eos convincit: omnes homines peccare & egere gloriâ Dei, Roman. 3. 23. vel ex Job. cap. 15. v. 15, 16. Cælites non esse mundos in oculis Dei, multò minus hominem abominabilem & fœtidum, qui iniquitatem velut aquam imbibit.

γ. Inter Christianos,

a. Alij justitiam quærun in externa honestate, per quam Deo se placere persuasi sunt, etsi de fide vera & salvificâ nihil quidem solliciti.

Sed convincit illos Spiritus sanctus de falsa justitia, & docet

F f f f f

a. Ope

a. Opera moralia, ante justificationem hominis, nonnisi splendida esse peccata, quales omnium gentilium fuerunt virtutes, qui externè & moraliter, honestissimè etiam vixerunt.

b. Post justificationem, omnem illorum justitiam, ex regenerationis imperfectione, velut pannum menstruatæ esse, Esai. 64. 6.

b. Alij operibus suis planè confidunt, justitiâ Servatoris nostri, omninò ferè neglectâ: Hinc crebræ perfectionis, meritorum & satisfactionum propriarum gloriaciones.

Sed convincit illos Spiritus sanctus de falsa justitia,

1. Quia omnia nostra bona opera sunt debita, Luc. 17. 10. quorum à nobis non præstitorum culpam deprecari debemus: Remitte nobis debita nostra.

2. Quia non nostræ sunt virtutis, sed Dei in nobis operationis.

3. Quia imperfecta sunt. Nam justus in omni opere bono peccat. Israëlita exeunt quidem ex Ægypto, sed murmurant ad mare rubrum. Sic nos benè quandoque incipimus, sed in medio cursu fatiscimus, Rom. c. 7. §. 18, 19.

Israëlitaæ legem Dei, ex ore ejus audientes fugiunt, Exod. 20. §. 19, 21. Figura, quòd nemo hominum, in hac imperfectione, legem Dei perfectè servare possit.

II. Arguit & convincit Spiritus sanctus Impios in Ecclesia & extra eam: nempe

a. Quotquot justitiæ opera non faciunt.

b. Quotquot veram in Christo oblatam justitiam non acceptant.

c. Quotquot justitiam acceptam non conservant.

d. Quot-

d. Quotquot aliorum, se justiorum, exempla non imitantur.

### Usus ad Informationem.

- I. In negotio salutis, nullam meremur justitiam: minus vitam æternam. Pulchrè Anselmus: Si homo mille annos serviat Deo ferventissimè, tamen non meretur ex condigno, dimidium diem esse in Regno cælorum.

Ambrosius libr. i. de Isaac. & vita beat. cap. 6. Sed & illud mihi prodest, quòd non justificemur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari in operibus meis possim, non habeo, unde me jactem, & idèd gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed quia redemptus sum. Gloriabor, non, quia vacuus peccatis sum, sed quia peccata mea mihi sunt remissa.

- II. De singulis Dei donis cuique ratio reddenda est. Nam Spiritus sanctus arguit mundum de justitia: non tantùm de justitia falsa, sed etiam de vera neglecta.

Quòd uberius terram agricola impinguat fimo, & laboriosius colit, hoc uberiolem & auctiolem ex ea fructum expectat.

Quòd fidelius & accuratius discipulus à magistro instituitur, ut doctior evadat, hoc plus ab eo in recitandis lectionibus, postulat. At terra cordis nostri, venientem super se donorum Spiritus sancti imbrem sæpius uberrimè combibit, Hebr. 6. v. 7. qui fidelissimè hætenus, in omnem veritatem nos induxit, & omnia illa, quæ Christus dixit, nobis suggestit, Joh. 14. 26.

Cur ergò non acerrimè nos argueret, si ita exculi & edocti, in schola pietatis nihil proficimus; si nullum bonorum operum fructum, sed meras spinas & tribulos peccatorum germinamus, & ad quamlibet tentationem, omni justitiâ destituti, succumbimus?

Certè non tantùm de peccatis ratio reddenda est, sed de gratijs etiam, donis & beneficijs Spiritus sancti.

Hominem in peccatis conceptum & natum, sæpè sæpius peccare mirum non est: sed eundem, remedia illa, à Spiritu sancto subministrata & applicata, quibus à peccato liberari posset, hoc est, meritum & justitiam Christi, spernere & contemnere, hoc demùm magnum mirum est, & grave peccatum.

Ægrotamus sæpè sine culpa nostra: Sed, si medicamenta, quibus morbi supervenientes facillè repelli possunt, respuimus, hoc culpæ nobis meritò imputatur, & nos nostri ipsorum facit homicidas. Rectè ergò Spiritus sanctus mundum arguit, quòd nec remedia salutis, ut par est, acceptat, nec acceptis Dei donis & beneficijs dignè utitur.

**U**sus ad Elenchum omnium illorum, qui meritis suis confidunt, & alienam querunt justitiam, quæ ex Deo non est, ac proinde nec Deo, nec cælo adducit, quales sunt Judæi, Turcæ, Gentiles & multi Christianorum caterva.

Audite Christum contra hostonantem hoc loco, Spiritus sanctus mundum arguet de justitia: Scilicèt, quòd non credunt, in abeuntis ad Patrem Christi merito Salutem inveniri. Et Matth. 5. 20. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaorum, non ingressuri estis in regnum cælorum.

Observate etiam illud Bernhardi: Sibi & suis meritis fidere, est perfidia.

**U**sus ad Correctionem

1. Illorum, quibus justitia Christi, hoc est, totum ipsius meritum prædicatur & offertur ad salutem: Ipsi verò non credunt abivisse ad Patrem: non credunt ipsum esse constitutum caput super omnia Ecclesiæ, Ephes. 1. 21, 22. cujus nutui parere necesse habeant: sed filium Dei sibimetipsis rursus crucifigunt, & ad ignominiam exponunt, Hebr. 6. 6.

Nonne arguendi hi sunt de injuria Christo illata per justitiam ejus spretam atq; contemptam?

2. Sed & illi arguendi sunt, qui studio justitiæ ab alijs per Dei gratiam fideliter præstito, ad idem se excitari non patiuntur. Aliter Augustin. Medit. cap. 4. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exemplar. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seq; imitandos dederunt justis actionibus.

**U**sus ad Exhortationem.

1. Discutiat seipsum unusquisque, quot bonas Spiritus sancti arguentis inspirationes, quot bona vota, desideria, & seria proposita, vel

vel negligenter pratermiserit, vel exiguo cum fructu retinuerit, vel protervè etiam impiè rejecerit.

Ita cor suum, in suis Confessioneum libris, S. Augustinus excusit, & suo exemplo peccatum fugere, & in virtutum studio indefinenter proficere docuit, ne à Spiritu sancto argui debeamus. Hinc etiam Serm. 15. de Verb. Apost. graviter monet: *Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, etiam peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere. Remanet, qui non proficit.*

- II. Agnoscamus injustitiam & miseriam nostram, quâ sponte ad Christum venire non possumus, nisi à Patre tracti, Joh. 6. 44. nec ad Patrem, nisi per Christum, qui ad illum prior abiit, & viam recentem & vivam nobis dedicavit per velum, hoc est, per carnem suam, Hebr. 10. 19, 20. Agnoscamus, inquam, miseriam nostram,

ut expetamus Medicum, Matth. 9. 12.

ut expetitur queramus, Cantic. 3. 5. 1. & in ejus ad Patrem abitu justitiam coram Deo valentem, Roman. 3. 5. 25.

ut questum obtineamus, eoque fruamur, Joh. 6. 40.

- III. Vitemus omnem opinionem & imaginationem propria justitiæ, de qua verè S. Bernhardus: *Si districtè judicetur, injusta omnis justitiæ nostra invenietur.*

3. De JUSTITIA VERA Spiritus sanctus mundum arguit, ut cognitam amplectatur.

De hac Rom. 1. 5. 17. *Justitia per Evangelium retegitur, ex fide in fidem, sicut scriptum est, justus autem ex fide vivet.* Confer Rom. 3. v. 25. I. Corinth. 1. v. 30. 2. Corinth. 5. v. 21.

Hæc verò sola & tota solius Christi est, originaliter & effectivè: Ipse enim est justus Dei servus, qui cognitione sui multos justificat, quorum iniquitates ipse bajulavit, Esai. 53. 11. *Imputativè verò etiam nostra.* Nam justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes est, qui credunt, Rom. 3. v. 22. confer Roman. 8. v. 3. 4.

Concurrunt in hac justitiæ vera, quam cognitam Spiritus sanctus

Etus nos amplecti docet, *Gratia Dei. Meritum Christi. Et Fides nostra.*

**I. GRATIA DEI.** *Hæc fons est salutis nostræ, Ephes. 2. 8.*

*Huic Gratia deest, quicquid meritis deputas. Bernh.*

**Hæc Dei Gratia Salutem nobis ordinat & præparat in Christo, Roman. 8. 3, 4. Eph. 1. 3-7.**

*Salutem per Christum acquisitam nobis imputat per fidem, Rom. 4. 23, 24, 25.*

*Transfert in Christum, quod nostrum est, nempe peccatum: & donat nobis, quod Christi est, nempe justitiam ejus & totum meritum, 2. Corinth. 5. v. 21.*

**II. CHRISTI MERITUM.** De hoc pulchrè Paulus 1. Timoth. 2. 5, 6.

*Unus enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, Homo Jesus Christus, qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis, Et Matth. 26. 28. Sanguinem suum effudit pro multis in remissionem peccatorum.*

*Comprehendit hoc Christi meritum ejus exinanitionem, & exaltationem: Obedientiamq; activam & passivam. De quibus singulis suo loco.*

**III. FIDES NOSTRA,** sed vera, fiducialis & salvifica, applicat sibi, quicquid in Scriptura sacra Veteris & Novi Testamenti, credentibus de Christo est promissum, 2. Cor. 1. 20.

*Hinc rectè Theologi Orthodoxi, Fidem veram vocant Oculum mentis, quo credens Christum intueatur: Animam manum, quâ illum cum beneficijs suis apprehendat: Os cordis, quo corpus ejus crucifixum comedat, & sanguinem ejus fufum bibat: pedem interioris hominis, quo cum & coram Deo, ad Deum ambulet: Aurem, quâ Deum in verbo loquentem audiat: Et linguam, quâ eum & precibus compellet, & coram hominibus confiteatur.*

**Ufus ad Elenchum illorum,** qui corporali Christi in terris presentia nihil mihi adherent, & eam mordicè tuentur contra hanc assertionem Christi vers. 10. quâ non obscurè docet credentes ex hoc justitiam coram Deo valentem consequi, si abitum ejus ad Patrem rectè intelligant. *Abeo ad Patrem, & amplius non conspicietis me.*

Ita verò abijt, ut etiam hic fit, sed non carnaliter. Corpus suum intulit cælo, & majestatem non abstulit mundo. Utilior nobis est *præsentia justitiæ ejus*, quàm *præsentia carnis*: Caro ejus cælo illata pignus est nostræ aliquando secururæ, interim: *Nisi corporaliter à nobis abijset, semper ipsum carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.* Sed de his fufius suo loco.

### Ufus ad Exhortationem.

Quæramus justitiam Christi, *quæ est justitia fidei nostræ*, quia per fidem justitiam Christi apprehendimus.

Non est hâc *pretiosior in toto mundo thesaurus*, quia per hanc, chirographum peccati nobis contrarium è medio tollitur, Coloss. 2. vers. 14. quia per hanc, peccatum in justitiam, mors in vitam, infernus in cælum, ignominia in gratiam, & omnis Christianorum miseria in perennem felicitatem mutatur atque convertitur. Sectemur igitur, homines Dei, *justitiam, pietatem, fidem, charitatem.* 1. Tim. 6. 11.

Ufus ad Consolationem contra omnem *vel ingenitam nobis, vel iniquè perpetratam à nobis injustitiam & peccata.* Peccavimus omnes, perversè egimus, improbè fecimus, & rebellavimus, Dan. 9. v. 5. Venditi sumus, ut subjiceremur peccato, Roman. 7. v. 14. propterea *in judicio Dei*, propter injustitiam nostram consistere non valemus, Job. 9. v. 3. Psalm. 143. v. 2. Sed *in Christo, ad Patrem abeunte, justitiam habemus*, Rom. 3. vers. 25. Hâc consistimus coràm Deo, Rom. 8. v. 32, 33, 34. Nulla igitur nunc amplius est condemnatio nobis, qui sumus in Christo Jesu, Rom. 8. v. 1. *justificati enim ex fide, pacem habemus erga Deum, &c.* Rom. 5. v. 1-5. Et possumus cum Bernhardo dicere ex Serm. 23. in Cantic. *Sufficit mihi ad omnem justitiam, solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne, quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est, quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est: Hominis justitia Dei indulgentia.*

II. Δ. *Hæc quidem de justitia fidei.* Quemadmodum autem sublatâ *justitia fidei*, stare non potest Ecclesia, ita quoque sublatâ *Politica, Civili & Judiciali*, stare non potest Respublica.

Arguit

Arguit igitur Spiritus sanctus Mundum quoque de *Justitiâ*.

1. Malè administratâ.
2. Omninò neglectâ.
3. Impeditâ & interversâ.

**Arguit 1. De justitia malè administrata.** Videmus hoc in historia Heli Sacerdotis, qui cùm gravia filiorum scelera, pro merito, non castigaret, vocavit Deus puerum Samuelem in fomis, ut per eum Heli sacerdotem argueret. Dixit autem ei: *Ecce, ego facturus sum rem in Israël, quam quisquis audiverit, tinnient ambæ aures ejus. Die illo prestabo Heli, quicquid loquor contra familiam ejus incipiendo & perficiendo. Indico enim ei, me vindicaturum esse familiam ejus, usq; in seculum, propter iniquitatem, quam novit, quia maledictionem inferentibus sibi filijs suis, non tamen represit eos, &c.*

1. Sam. 3. §. 11, 12, 13.

Ita quoque redarguit Regem Achabum per Prophetam Eliam, propter hostem Israël, Benhadad Regem Syriæ dimissum, 1. Regum. 20. §. 42. Sic ait Jehova, eo, quòd Virum anathemate devotum dimisisti è manu, idè erit vita tua, pro vita ejus, & populus tuus pro populo ejus.

**2. De justitia omninò neglecta, & planè non administrata.** Quæsit ex hoc capite Absolon, titulum Patrem Regno exuendi, videlicèt non esse, qui audiat rationes subditorum bonas & rectas, 2. Samuel. cap. 15. vers. 3. existimans, hanc quærelam plurimùm valituram, ad Patrem exauthorandum & regio throno deturbandum.

Et certè, *justitia neglecta defectus*, tantus est, ut totam Regionem & Gentem quærelis & lamentationibus impleat.

**3. De justitia impedita & interversa per violentiam potentiorum, munera, & fraudes, astus, atque dolos alios.** Ita Dominus Urbem Hierosolymitanam & Principes ejus arguit per Esajam cap. 1. §. 23. *Principes tui contumaces & socij furum, unusquisq; amat munus, & sectatur retributiones: pupillo non dicunt jus, & causa vidue non pervenit ad eos.* Confer Esai. 10. 1. seqq.

## Ufus ad Informationem.

*Justitia*, virtus est inclinans ad volendum & faciendum proximo id, quod Lex Dei & naturæ ab homine requirit, *Eesai. 56.1. Matth. 7.12.*

Est verò:

1. *Divina*, veram Dei notitiam, cultum purum, & vitæ integritatem præcipiens.
2. *Naturalis*, cujus primariæ Leges & præcepta sunt, *honestè vivere, neminem ladere, suum cuiq; tribuere.* Vel etiam: Superiori exhibere obedientiam, pari concordiam, inferiori æquitatem.
3. *Civilis*, quæ in administratione justitiæ, proprium Regis munus est, quod, Homero teste, à Jove dono accepit, non autem bellicas machinas, aut naves rostratas.
4. *Judicialis*, quæ in jure dicendo, partes pariter audit, & æquum illis judicium ita fert, ut nec opulenti injuriam patiantur, nec plebeji contumeliâ afficiantur.

## Ufus ad Correctionem. Jure merito Spiritus sanctus illos arguit

1. *Qui jus pervertunt*, *Exod. 23. vers. 6. munera captant Exod. 23. vers. 8. sententias præcipiant*, 2. *Sam. 16. v. 4. causas prote- lant*, *Amos. 5. v. 7. carnem pinguioris comedunt, & ungulas percurrunt*, *Zach. 11. 16.*
2. *Qui in Legum & justitiæ transgressores non animadvertunt*, *Jerem. 48. 10. Prov. 17. 15.*

Restè Cicero. *Spes impunitatis, maxima illecebra est peccandi.*

## Ufus ad Exhortationem.

*Ezech. 45. v. 9. Sic ait Dominus Jehovi, satis esto vobis, Principes Israël, violentiam & vastationem amovere, jusq; & justitiæ exercere. Tollite depulsiones vestras in Populo meo, dictum Domini Jehova. Confer Psalm. 82. v. 3, 4. Esai. 1. 17. Deuter. 1. v. 16, 17.*

Gggggg

Ufus

Ufus ad Consolationem. Sic florebit *Ecclesia, Respublica, Oeconomia*, Esai. 3. 10. Prov. 12. 12.

### III. Spiritus sanctus arguit mundum de JVDICIO, eo quòd Princeps hujus mundi condemnatus sit, vers. 11.

Observe 1. Spiritus sancti in arguendo mundo de JVDICIO, officium.

2. *Causam*, cur arguat?

A. Officium Spiritus Sancti est, mundum arguere de judicio:

α. *Non Politico*: quasi potestatem Politicam, quæ hominum prævaricantium delicta punit, improbaret. Non enim illa temerè gladium gestat, Dei minister, ultor ad iram ei, qui malum fecerit, Rom. 13. 4.

β. *Non Ecclesiastico*: quasi Ecclesiæ, Ministris, grassantibus lupis, sibi & gregi non attendere; & illis, qui per blandiloquentiam & assentationem, corda hominum minimè malorum seducunt, non resistere liceret, Act. 20. 28, 29. Rom 16. 18.

γ. *Non morali*, quo unusquisque vel seipsum judicat, & quid in actionibus suis, bonum, malumve sit, discernit, Gal 6. 4. vel proximum suum observat, ut ad charitatem & bona opera ipsum acuat, Hebr. 10. 24.

Sed a. de judicio depravato, hoc est, de rebus in Ecclesia & politia confusis & dissipatis.

b. de judicio ultimo, hoc est, de illa hominum sententia, quæ de ultimo Christi adventu ad judicium universale, in quo omnium hominum actiones dijudicandæ sunt, non rectè sentiunt & judicant.

B. *Causa*, cur arguat? vers. 11. exprimitur: quia Princeps mundi condemnatus est.

Sensus est: Spiritus sanctus docebit mundum agnoscere, Christum Jesum, benedictum illud mulieris semen, serpentis illi antiquo, generis humani seductori, caput contrivisse

vissè Genes. 3. v. 15. *opera ejus destruxisse*, 1. Johan. 3. v. 8. eo subacto & triumphato Coloss. 2. v. 15. regnum solum obtinere: adeoque quæ prius collapsa fuerant in mundo, divulsa item & confusa, *devicto omnis iniquitatis principe*, & *aræglas* authore, in ordinem nunc per Christum esse restituta. Et, hunc ipsum, in clamaturum olim cælos supernè, & terram, jus populo suo dicturum Psal. 50. v. 4. & *universum orbem in justitia judicaturum*, Actor. cap. 17. v. 31.

Δ. **MUNDVS PRINCIPEM** habet, cui servit. In *hujus regno* omnia sunt **CONFVSA**. Sed Principem Mundi Christus **JUDICAT & CONDEMNAT**. Mundumq; ipsum de **JUDICIO SVO MALO** arguit per Spiritum S.

Quatuor sunt hujus doctrinæ lemmata, quæ singula brevibus excutiemus.

I. **MUNDVS PRINCIPEM** habet, cui servit. *Hujus enim, & condemnationis ipsius*, Christus v. II. mentionem facit.

*Non regnum est, non principatus, non familia, quæ Dominum & antistitem suum non habeat.*

*Mundi universi legitimus & genuinus Dominus, Deus est, Creator & Conservator rerum omnium.*

*Sed Mundi impij & in malo jacentis* 1. Johan. 5. v. 19. *Princeps ac Dominus*, Sathanas est, *Deus ille seculi, qui infidelibus mentes excæcat*, 2. Corint. 4. v. 4. *νοσηροῦ ἄνωγ τῆς σιότης*, *Princeps ille tenebrarum*, Ephes. 6. 12. qui agit in hominibus contumacibus, Ephes. 2. 2.

Hic Mundi principatum, *partim per rebellionem contra Deum sibi rapuit*, quum non servatâ suâ origine, domicilium suum reliquit Judæe vers. 6. & *protoplastos ad imaginem Dei creatos ad horrendum apostasia à Deo peccatum induxit*, Gen. 3. v. 1. seqq. *partim à Deo per judicalem traditionem obtinuit*, qui hominem lapsum, & in finali impœnitentia perseverantem, ipsi tanquam *carnifici suo excœcandum, indurandum & excruciantum tradit*: unde Hebr. 2. v. 14. *mortis imperium habere dicitur*: *partim per tyrannidem etiam exercet*, quando laqueis suis captos, pro nutu suo, ad voluntatem suam faciendam impellit, 2. Tim. 2. 26.

Porisma. Ex quo apparet: *Infelicem esse & miseram conditionem omnium illorum, qui Principi mundi, hoc est, Sathane serviunt.* Servitus enim hæc

a. *Erroris est, 2. Cor. 4. 4.*

b. *Peccati, Joh. 8. 34.*

Stipendiumque & merces hujus, *pœna æterni exitij, 2. Thessal. cap. I. vers. 9.*

*Exhortatio.* Fugiat igitur quisque peccata: Nam quot vitij quisque deditus est, tot servit Diabolis.

## II. In regno Principis Mundi, OMNIA sunt CONFUSA.

Sathan omnem *ἀταξίαν*, in mundum, ex sapientissima Dei creatione & dispositione, ordinatissimum, per lapsum Protoplastorum, invexit: Hinc *confusa jam cernuntur omnia.*

Confusa sunt omnia *in homine*, per peccatum penitus corrupto.

Confusa omnia *in mundo*, per continua in omnibus ferè creaturis bella.

Confusa omnia *in Ecclesia*, per errorum multiplicationes.

Confusa omnia *in Politia*, per varios astus, fraudes, dolos & tyrannidem.

Confusa omnia *in hominum actionibus*, per temeraria, carnalia, *curiosa judicia*, quæ ubique ferè ferri audias,

α. *Contra doctrinam Evangelij*, quæ accusatur erroris & falsitatis Actor. 6. ψ. 11, 13, 14. cap. 16. ψ. 20. cap. 19. ψ. 26. cap. 21. ψ. 28. cap. 24. ψ. 5, 6. Et hodie à Pontificijs, impijssimæ hæreseos, cujus affectu indigni sint, quos terra ferat, quibus sol illuceat: Dignissimi verò, qui ense, rotâ, igne, laqueo tollantur.

β. *Contra vitam Christianam pietatem*, quam multi cum peccatis & sceleribus suis, quibus dediti sunt, facile consistere, & conciliari posse, autumant; atque sufficere, si dicere possint, *Domine, Domine, quamvis voluntatem ejus non faciant*, contra illud Christi Matth. 7. 21.

γ. *Contra homines afflictos & calamitosos*, quos, præ alijs, peccatores esse putant, Joh. 9. 2. Luc. 13. 2, 5.

δ. *Contra pios & fideles Ecclesie Doctores*, exemplo Judæorum

dæorum, Joh.8.v.48. Matth.11.19. & Atheniensium Actor.17.18. Arianorum item, qui pium Athanasium appellârunt *Sathanasium*. Et Pontificiorum, qui magnanimos nostros Reformatores, *Deformatores* & *filios Diaboli* vocant.

e. *Contra Proximum quemvis*, qui temerariâ crisi, ab omnibus ferè laceratur & discerpitur, nemoque ferè ab histelis tutus est.

g. *Contra judicium ultimum*, cujus adventum empæctæ irrident, 2. Petr. 3.3,4.

**III. Sed Princeps Mundi JUDICATVS est, & CONDEMNATVS.**  
A quo? *A Christo fortiore armato, & validiore*, Luc. 11. 22.

Sathanam *Leonem infernalem* 1. Petr. 5. v. 8. vicit *Leo ex tribu Juda*, stirps Davidis Apocal. 5. v. 5. qui expoliata imperia & potestates traduxit, palàm triumphatis illis, Coloss. 2. v. 15.

*Eripuit Sathana*, Principi mundi, forti armato *loricam* Luc. 11. v. 22. hoc est peccatum nostrum Col. 2. 15. quo nos configere voluit, 1. Cor. 15. 56.

*Ejecit illum ex paradiso terrestri*, Gen. 3. 14.

*Ejecit illum ex Paradiso cælesti*, Apoc. 12. 10.

*Ejecit illum ex deserto*, Matth. 4. 10, 11.

*Ejecit illum ex corporibus obsessorum*, passim in hist. Evan.

*Ejicit illum ex Ecclesia*, per plantatam in illa veritatem cælestem, quæ erroribus succedit & superstitionibus.

*Ejicit illum ex cordibus electorum*, per sanctam *παλιγγενεσίαν*, Joh. 3. 5. 1. Cor. 6. 11.

Apprehendit illum, vincit, & *conjicit in abyssum* Apocal. 20. 2, 3. in stagnum ignis & sulphuris, ut crucietur ibi, die ac nocte in secula seculorum, Apoc. 20. 10. Matth. 25. 41.

Porisma didascal. **CHRISTVS** ergò **VICTOR** est, qui **PRINCIPEM MUNDI**, Sathanam **VICIT**, **JUDICAT**, **CONDEMNAT**.

a. **VICIT suo merito**, per suam exinanitionem & exaltationem. *Vicit moriendo, & resurrexit cadendo.*  
Chrysof. Hebr. 2. 14. 1. Cor. 15. 57. Col. 2. 15.

GGGGGG 3

b, IV

b. *JUDICAT in Evangelio*, in quo nobis annuntiat, per Sacramenta confirmat, & per Spiritum sanctum cordibus nostris obsignat,

a. *Liberatos nos esse sanguine suo ab ira Dei*, à maledictione Legis, à peccati abominatione, à mortis horrore, à Sathanæ tyrannide, & ab inferni cruciatu.

β. *Reconciliatos nos esse cum Deo*, adoptatos in ejus filios justificatos sanguine Christi, sanctificatos per Spiritum sanctum: *Superaturos omnes Sathanæ insultus*, tela & tentationes; ac proinde neque Angelos, neque principatus, neque potestates, hoc est, nullum, quamvis astutissimum & potentissimum Dæmonem, nos amplius posse separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro, Rom. 8. 38, 39.

c. *CONDEMNABIT planè*, & flammis infernalibus adjudicabit & addicet in judicio ultimo, Apoc. 20. 10. Matth. 25. 41.

**IV. Spiritus S. ARGVIT Mundum de JVDICIO SVO MALO**, hoc est, convincit *ex Scriptura Sacra, & propria conscientia*,

a. *Jesum Christum destructorem esse Regni Sathanici*, solumque verum & perfectum Generis humani Servatorem, Gen. 3. 15. Esa. 49. 6. Matth. 1. v. 21. Act. 4. 12. 1. Tim. 2. 5, 6. Rom. 3. 25.

b. *Doctrinam Evangelij, doctrinam esse veram, antiquam, & in Scripturis sacris fundatam*, Act. 10. 43. Hebr. 13. 8. 1. Cor. 3. 11. Eph. 2. 20.

c. *Vitam Christianam & sceleratam, se invicem evertere, & unà consistere non posse*, Luc. 13. 26, 27. Rom. 2. 29. 2. Cor. 6. 14, 15.

d. *Calamitates filiorum Dei, & adoptionem, in hac valle lachrymarum secum invicem non pugnare*, Hebr. 12. 6, 7. *Exemplo ipsius Christi*. Hinc retè dixit, qui dixit: *Unum Deum filium habuit sine peccato: sed nullum sine cruce.*

e. Do-

- e. Doctores Ecclesiæ orthodoxos & sanos, non esseturbatores, sed *Patres*, qui *filius Dei parturunt*, usq; quo Christus in ipsis formetur, Gal. 4. 19.
- f. Omnes pios Christianos à Deo amari, quamvis ab hostibus exagitentur, & varijs calumnijs lacerentur, Matth. 5. 11, 12.
- g. Cum primis arguit Spiritus sanctus *empactas & irri-fores doctrina* de ultimo Judicio, & quidem
- α. *De illo non previso, nec pracogitato*, quales sunt, qui immemores, se pergere ad iudicium, in quo de malis suis cogitatis, dictis & factis ratio reddenda est, exultant, cum malè fecerint, & vivunt, quasi nunquam iudicandi essent.
- β. *De eodem sæpiùs inculcato*. Principum mandata, semel tantum promulgata, vim suam obtinent, & omnibus, qui ea transgrediuntur, terrorem incutiunt. *Cur ergò Dei iudicium toties inculcatum contemnimus?* cujus ideam in lapsu Angelorum videmus, in primis parentibus in paradiso, post transgressionem iudicatis & condemnatis; in diluvio, in Pentapolis incendio, in terræ rebelles absorbente hiatu, & in iudicijs particularibus alijs.
- γ. *De eodem deriso & contemptui habito*, quasi nunquam futuro. Hoc arguit Spiritus sanctus & docet, *aut Deum non esse, aut justum esse*. Si justus est, ergò diem constituit, in quo unicuiq; reddet secundum opera sua. Quum verò hoc, in seculo isto, non semper fieri videamus; sed justos negligi, opprimi, extingui; injustos verò coli, adorari, exaltari, consequens est, ut hoc faciat in iudicio ultimo.

Ufus ad Informationem. Magna est Dei Opt. Max. clementia, qui nos, sub imperio Principis Mundi constitutos, per Principem vitæ, Jesum Christum, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν salutis nostræ, ex potestate ejus eripuit, & inter nos constituit

- a. Iudicium Ecclesiasticum, seu Ministerium Evangelicum,

gelicum, quo mediante, Spiritus sanctus, inter nos erudit ignorantes, corrigit peccantes, erigit lapsos, consolatur tristes: & afflictos atq; tentatos manu ducit ad cœlum.

- b. Judicium Politicum, ut per hujus auctoritatem & potestatem, Ecclesia, veritas, pietas, honestas, justitia & innocentia defenderentur.
- c. Judicium magnum atque ultimum, judice Christo celebrandum, in quo revelabitur, quicquid hic occultum fuit, 2. Cor. 5. 10. 1. Cor. 4. 5. Matth. 12. 36. è quo nulli aufugere, aut animum suum dolosum & fraudibus plenum, in illo occultare licebit.

#### Usus ad Consolationem.

I. *Contra varias Principis hujus mundi insidias*, quas, ut amplius metuamus non est, quia jam *judicatus est*, v. 11.

Rectè Augustin. l. 4. de Trinit. cap. 13. *Christus Diabolum, à spiritibus in se credentium, foràs misit, ut non regnaret intrinsecus: sed forinsecus oppugnaret, nec tamen expugnaret.*

Confidamus. *Non expugnabit: jam condemnatus est* §. 11. & foràs ejectus Joh. 12. §. 31. in barathrum infernale detrusus, catenis caliginis traditus, & damnationi servatus, 2. Petr. 2. §. 4. quod apparet

- α. *Ex Gentilismo in orbe destructo*, ex dejectis ubique ferè Gentilium Deorum idolis, ex everfis ipsorum delubris, & cessantibus Sathanæ oraculis.
- β. *Ex revelatione magnæ Apostasiæ*, & detectione hominis peccati, 2. Thess. 2. 3, 4.
- γ. *Ex novis Spiritûs sancti gratijs*, donis & beneficijs, hominibus ex Sathanæ potestate ereptis, ad Deum Trinunum cognoscendum, in Christum credendum, & in eo solo salutem quærendum, collatis.

At nunc contrito per Christum capite serpentis, *calca-  
neo nostro insidiatur*, & non cominùs, sed eminùs pugnat: *ad  
apertam impietatem cautiores non invitatur, attamen callide & retrò  
aggreditur*, ut per vana seculi oblectamenta supplantet, hoc  
est, per divitias, dignitates & voluptates decipiat: sed con-  
tra hos insultus, *paratum habemus munimentum*, scutum fidei,  
galeam

galeam spei, thoracem justitiæ, ocreas Evangelij, gladium Spiritûs, & lanceam devotæ precationis, Ephes. 6. v. 13. seqq. Hincrestè Cyrill. in Joh. libr. 10. cap. 40. *Quum impuri Dæmones, virtute Spiritûs sancti, per orationem credentium fugantur, quomodo non dicemus, Sathanam jam condemnatum esse?*

Non aspidis infernalis jam nos amplius molestabit morsus, ut difficilem reddat virtutem nostram, nec Draconis sibilus insidiabitur, ut voluptati cedamus, nec Leonis rugitus terrebit, ut fugiamus, nec Basilisci venenatus oculus decipiet, ut seculi blandimentis extollamur: *nam quia in Deum amore propendemus, liberabit nos: in edito collocabit, quia agnoscimus nomen ejus: exaudiet invocantes, aderit in angustia, eripiet, & honore afficiet, Ps. 91. 14, 15.* Atque *hoc totum facit Spiritus sanctus in credentibus*, quibus salutem æternam in Christo, adversus omnia Sathanæ machinamenta obsignat.

- II. *Contra malitiam mundi, sub Principe suo contra electos militantis.* Quo verò magis hæc multiplicatur & abundat, hoc propius instat *dies liberationis nostræ.*

Hæc nostra tempora, illa sunt, quibus *va denuntiatur incolis terræ & maris*, quia Diabolus ad eos descendit, iræ magnæ plenus, ut, qui scit paululum temporis sibi restare, Apocal. 12. v. 12.

At non potest ille, quod vult, accisæ sunt alæ ipsius. Ipse, *Princeps mundi, judicatus est*, condemnatus, ejectus, & totum ejus, cum ipso, famulitium. Ne in porcos quidem potestatem habet, ne dum in hominem, qui est in Christo Jesu.

*Der Fürst dieser Welt: wie sawr er sich stelle/  
Thut er vns doch nicht: das macht er ist gerichte/  
Ein Wörtlein kan ihn fällen.*

*Quamlibet fremat, nos Sathan premat,  
Nihil tamen potest, quòd judicatus est,  
Verbo fugit repressus.*

Et qui, cum ipso, pios infestant, cum eodem judicati, citò conterentur sub pedibus nostris, Rom. 16. 20.

- III. *Contra temeraria, mundi judicia, quibus pijsimi & maximè infontes, quandoque gravantur. Sed nihil illis obsunt.* Nihil

H h h h h

obsunt

obfuit Eliæ, quòd ab Achabo, *turbator Israël*is gratis fuit ap-  
 pelatus, 1. Regum. 18. *ψ.* 17, 18. Nihil Christo, quòd eum *Sa-*  
*maritanum & Publicanorum socium* Pharifæi dixerunt, &c. Im-  
 poffibile est *αχελωα* quorumvis iudicum temerariorum ora  
 frenare. Iudicet mundus iniquè & temerè: *Spiritus sanctus* est,  
 qui iudicat rectè: Christus est, qui *Principem mundi* condemnat:  
 Idemque est, qui mundum quoq; vicit, Joh. 16. *ψ.* 33. qui *populum*  
*suum iudicabit rectè, & pauperes suos iure, qui vindicabit pauperes*  
*populi, qui servabit filios egentis, & conteret opprefforem,* Pfalm.  
 72. *ψ.* 3, 5. Apud hunc plus valent *corda pura, quàm astuta ver-*  
*ba; plus conscientia bona, quàm marsupia plena.* Bernh. epist. 1.  
 ad Robert.

### Ufus ad Exhortationem.

1. Gratias agamus Deo Patri, qui filium suum nobis donavit, Prin-  
 cipis mundi, *Sathana* debellatorem, victorem & iudicem.

Gratias agamus filio Dei, Servatori nostro, qui per ascen-  
 sionem suam, post peractum redemptionis opus, æternam  
 suam, è qua prodijt, lucem repetens, *Spiritum sanctum in mun-*  
*dum emisit, qui impium argueret, è mundo electos, redemptos, atq; con-*  
*versos instrueret, & in sanctum Domino templum extrueret.* Quod  
 corpori nostro anima est, ut vivat; hoc animæ servandæ, Spi-  
 ritus sanctus est, ut æternùm gloriosè vivat.

2. Quia Princeps mundi, cum satellitio suo, iudicatus & condemnatus  
 est, demus operam, ne mundo inveniamur conformes, sed trans-  
 formati per renovationem mentis nostræ, ad probandum,  
 quæ sit voluntas Dei, bona illa, accepta & perfecta, Rom. 12.  
 2. Exeamus ex *Babylone mundi*, deseramus matrem illam con-  
 fusionis, ne participes fimus peccatorum ejus, & accipiamus  
 ex plagis ejus, Apoc. 18. 4.

Exuamus rerum mundanarum affectum & desiderium, ut Spi-  
 ritus sancti habitacula fiant animi nostri. *Patiatur nos de-*  
*pellit ab ubere deliciarum mundi, ut solidum nobis cibum vitæ*  
*æternæ degustare liceat.* Abdicemus naturæ ductum, ut du-  
 ctum Spiritus sancti sequamur. *Luna, quo plus luminis ver-*  
*sus terram habet, hoc minus habet versus cælum: Soli pro-*  
*xima, cælo illuminatur, & terra obscura deficit, sic anima hu-*  
*mana à terrenis voluptatibus & solatijs remota, Deo suo*  
*pleniùs fruitur.*

3. *Judicij ultimi semper simus memores, exemplo Hieronymi: & in sancta conversatione, atque pietatis officijs expectemus, & properemus ad adventum diei Domini, in quo Sathan, Princeps mundi, Evangelij predicatione jam judicatus, condemnabitur: Nos verò ex ejus potestate erepti, benedicti Patris, regnum possidebimus paratum nobis à jactis mundi fundamentis, Matth. 25. v. 34.*
4. *Quod si nos, cum Sathana olim judicari nolumus, demus operam, ut nos ipsos, dum heic vivimus, maturè judicemus, hoc est, exploremus: Si enim nos ipsos dijudicemus, non punimur, 1. Corinth. 11. v. 31.*
5. *Quod si judicium conscientia declinare volumus, os illi maturè obstruamus per penitentiam & fidem, Marc. 1. v. 15. Ita certà persuasione fidei, puris à conscientia mala cordibus, ad Deum accedere poterimus, libertatem habentes ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu, Hebr. 10. v. 22, 19. 1. Joh. 3. 21.*
6. *Quod si volumus, alios de nobis honestè judicare & loqui, faciamus simile, Luc. 6. v. 37. Tam diu enim aliquis peccata sua, qua deflere debebat, ignorat, quam diu curiosè aliena considerat. Prosper Aquit. de vit. contemptat. c. 6.*
7. *Aliorum de nobis judicia, non planè contemnamus. Sunt enim fortè Spiritûs sancti judicia, per qua nos arguit, ut emendemur, & ad pietatem incitemur. Hinc rectè Origines monet: Simus semper curiosi, quid dicatur ab hominibus de nobis, quod facientibus ad hoc conducit, si quid mali dicitur, ut hujus occasione, modis omnibus auferamus: sin boni quippiam, ut hujus causas adaugeamus. Consentit Paulus Rom. 15. v. 2. Unusquisq; nostrum Proximo placeat in bonum, ad ejus adificationem?*

Hæc hæctenus.

**Epilogus.** Magna est Dei misericordia, qui donum nobis dat sibi æquale. Filium nempe & Spiritum sanctum. illum ad nostri redemptionem: hunc ad nostri adoptionem. Illius nobis donat gratiam, hujus pacem. Illius meritum, hujus applicationem.

O ineffabilis Dei Opt. Max. liberalitas! O inexhausta beneficentia! O admiranda utilitas! Mittitur Spiritus S. ad nos; mittitur propter nos: mittitur in nos.

Hhhhhh 2

Mitti-

Mittitur ad nos per Verbum predicatum. Mittitur propter nos, ut efficaciter in nobis operetur: mittitur in nos per multivaria gratia sua dona. O exoptatam Sancti ad nos properantis hospitis promptitudinem! Hunc si habemus, quid desiderabimus amplius! Si labimur, erigit: si periclitamur, auxiliatur: si egeamus, ditat: si patiamur, subvenit: si ignari sumus, instruit: si anxij, consolatur. Reducit errantes, arguit peccantes: conservat titubantes: confirmat fluctuantes: In invijs via est, in errore veritas, in tenebris lumen, in morbo salus, in morte vita. Intellectum docet, voluntatem movet, affectus moderatur, concupiscentiam frenat, conscientiam tranquillat, cor confortat: Totum hominem Deo adducit, cum Christo unit, iudicio eripit, & æternæ salutis certos reddit.

*Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus,  
Lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum,  
Veni dator munerum: Veni lumen cordium,  
Doce, illumina, salvifica.*

**Tibi cum Patre & Filio fit laus, honor & gloria  
in secula. Amen.**

